

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 M
5



CHARITAS,
SIVE
CONVIVIVM DIALOGICVM SEPTEM PHYSICORVM.



BARPTOLEMÆI BVRCHELATI
PHILOSOPHI, AC MEDICI CLINICI TER.

OPVS.

In quo quidem apparatus, ritus, ordines, cibaria, potus, vtensilia, & id genus plurima ex Antiquorum Promptuarijs apposita elucidantur.

Additis in id Quæstionibus Conuiuantium Studiosis perinde, atq; Contemplatiuis hominibus apprimè profuturis.


Quæstiones Argumentum operis indicabit.



TERVISII, ex Superiorum licentia, infra Auctoris Ædes.
Apud Aurelium Reghettinum. MDXCIII.

GASPARI VIRO DOCTISSIMO PERILLVSTRI PVRLILIARVM ÆQVE', AC BRVGNARIÆ COMITI.

Barptolemæus Burchelatus Phyſicus S. P. D.



ACTVM eſt nouennium, ex quo in manus incidit meas Cõuiuium illud meũ, in pago Charitatis inter meas vtiles delicias mihi gratiſſimo, tunc temporis celebratum: & ſanè, niſi eſſem inibi continuus collocutor, cum tot librorum, quos habeo, auctoritatibus vſus fuerim, vix propemodũ vt opus meum recognouiſſem; cognoui attamen, & percurri, nec diſplicuit valde: quinimmò, vt verum fatear, illo ſum non mediocriter delectatus, nunquid ex læto, lepidoúe conuiuio, an ob collegas ęquè, ac nobiles commenſales, an forſitan propter rerum mearum, bonorum.ſ. fortunæ iuxtà, atq; intellectus repræſentationẽ, non ſatis recolo; Quapropter aliquid addens, nonnihil ſubtrahens, ſic opus compegi, vt cernitur, niſi fallor, haud inconcinnum, haud inutile, haud iniucundum: non quidẽ quòd ei per nouennium addita ſit perfectio, cũ ab imperfecto homine perfectũ quicquã, omnibusq́;, quod fertur, numeris abſolutum minimè valeat deriuare: ſed ꝙ ſatis mihi futurũ iudicem prodiſſe tenus, cum nõ detur vlterius tranſilire.

Patior denuo redire in scænam, quicquid tulerint spectatores: idq; potissimũ, vt tibi illius Illustriss. stemmatis Alumno, ex quo, veluti ex Equo Troiano, tot clarissimi prodiére Viri: tibi inquam Viro celeberrimo omnium scientiarum genere cumulato animi erga te mei propensionem testatam facerem. En itaq;, Gaspar Comes Perillustris, Purliliarũ decus, Brugnariçq; ornamentum, deuotionis meç probabile testimoniũ; & id meritò, cum non vnum, immo vnica apud me existant amoris erga me tui, adeo, vt epistolę tuæ, nedum mihi, sed magis admodum Reuer. Magistro Iosepho Policretio traditę, quanti me facias, inquã plurimi, largiùs manifestent: quod quidem meæ Academię Conspirantium referre accęptum non dubitaui: quandoquidẽ illi mei, quotquot fuerint, Excursus Academici typis adhuc expositi, tibi optimè cogniti, tuã hmõdi in me beneuolentiam proculdubio pepererunt. id qualecunq; pignus ingenui animi mei accipe hilaris Vir Doctissime, quo potissimum nomine illud liberè ad te destino: & Burchelatum tuum nedum in sinu foueas, nedum, si opus fuerit, defendas: verùm tibi in omnibus esse paratum scias, adeo, vt & in Charitatis meæ Prætorio, & in Ciuitatis Domicilio Turri illa conspicuo, quam in meo Ternario cantatam habes, quandocunq; malueris, istàc iter faciens valeas tanquam Dominus hospitari. Vale.

Taruisij Kal. Maij. MDXCIII.

ARGVMENTVM OPERIS, Ad Lectorem.



ECTOR, *vis vno intuitu capax fieri eorum, quæ in his Dialogis pertractatur? audi. Barptolemæus Burchelatus Physicus aduocat de Platea sex alios eiusdem ordinis Viros: vt ventum ad eius ædes, currus ingrediuntur: in ijs per viam comiter sermocinantur, interea perueniunt ad pagum Charitatis sexquiduo millibus passuum supra Teruisium à Porta D. Thomæ recta via distantem Burchelati commodum suburbanum: vbi descensum est ascendunt prætorij schalas, philosophantur super distichis in liminaribus ostiorum descriptis: interim, instructa marmorea mensa sub vitium pergula, vocantur ad Conuiuium; sedent recensentes quædam de sessione: apponuntur edulia: de omnibus passim appositis colloquuntur, argumẽtis, & testimonijs ab Auctoribus, quos habet, desumptis: ita de ordine, & de ritibus in edendo: sic de potu, & de propinatione. tum fit Propinatio vniuersalis ualde elegans: deinde consumptis bellarijs, de quibus etiã quædam dicuntur, mensam architriclino relinquentes secedunt ociaturi; hic pro foribus sedet, vbi de Burchelati commodo ratione huius loci non pauca referuntur: illi pedetentim eius vlterius clausuræ commodum speculantur: alij per vireta, & per prædiũ spaciantes digna quædam obseruant: alij duo per cellas domesticas, & per studium diuagantur singula*


per-

perpendentes. Conueniunt postea omnes, & terminãt tandem physicales quæstiones aliquas proponendum. Primò Federicius tractat de Accubitu antiquorum ad mensam, vbi auctorum loca plurima recensentur, ac declarantur. Quintius deinde tractat Quæstionẽ de Vino refrigerando: post quem Getus disputat de Citri seminis qualitatibus; quem sequitur Aproynus tractans de Ciuili Rusticatione; ac subinde Calcia proponit, & disserit Quæstionem de rerum omnium uanitate: qua expedita, tum propter ea, quæ hac quæstione conclusa sunt, tùm propterea quia vesper aduentabat, non datur ocium Balthassario disputandi Quæstionem de Cœnæ, seu Prandij portione maiori: neque Burchelato ratiocinandi de vnica singulorum dierum cibatione, sed ingreßi currus Taruisium reuertuntur.


Habes Argumentum, si vis reliquum, legas, nec forsan huius te lectionis pigebit: sin minus velis

SVSTINE, ET ABSTINE.

Errata quidem pauca, tu videris, corrigito.




Auctius id, ac correctius aliàs imprimetur.



BARPTOLEMÆI BVRCHELATI PH.
opera integra hactenus impressa, vbi, &
quando, & quibus tradita.



Tyrociniorum Poeticorum Pars prima.
Ad Excellentiss. D. Vitalem Vitalium auunculum suum. Pat. 1577.
Tyrociniorum Poeticorum Pars altera.
Ad Clariss. D. Hieronymũ Mercurialẽ Pręceptorẽ suũ. Pat. 1578.
Epitaphiorũ Dialogi septẽ in Taruisij Gloriã.
Ad Illustres Prouisores Vrbis. Ven. 1583.
Il Quero. Dialogo del Paragon delle cose.
Alla Illust. Signora Caualiera Quero Rin. Tr. 1589.
Duello de' Scacchi.
All'Illust. Sig. Vanni Bombene suo figlioccio. Tr. 1589.
Lo Stimamondo. Rag. dell'Humana cõditione.
A Sier Stimamondo Ciauattino. Tr. 1590.
L'Huomo Spiritato. Ragionamẽto Academico.
All'Illustriss. Sig. Paolo Pisani suo Zio. Tr. 1590.
Vna Oratione.
All'Illustriss. Sig. Dardi Bembo Rettor di Treuigi. Tr. 1590.
Trattato de gli Spiriti di Natura.
All'Eccellentiss. Sig. Aluise Federiccio. Tr. 1591.
Ragionamento Academico di Rapina.
All'Illust. Sig. Antonio Verona. Tr. 1591.
Il Ternario, ouero l'Ethim. di Treuigi. Dialogo.
All'Illust. Sig. Rambaldo Auogadro suo Compadre. Tr. 1592.
Discorso sopra la lettera del Frãgip. del Dñare.
All'Illust. Sig. Francesco Sugana. Tr. 1592.
Breuiloquia Poetica.
Ad Illust. ac Excell. D. Iohannem Pinadellum. Teru. 1593.
Charitas, seu Conuiuium septem Physicorum.
Dialogi, & Quæstiones.
Ad Perillust. Gasparem Putliliarum, & Brugnariæ Comitem.
Tr. 1593.



IN BVRCHELATI PHYS.

Volumina varia edita.

TERNARIÆ DOCTRINÆ DISTICHA.

MENOCHII, FVSCHI, PINADELLI.

O' Humanum Genus,

Da Burchelato laudes, qui plurima doctè
Emisit. Nomen claret in orbe suum.


Hæc Burchelati monimenta illustria docti;
Alti hæc ingenij sunt monimenta sui.

Burchelate diù fecisti carmina doctè:
Semper scripsisti maxima. plura feres.

Ergo Vale, Viue.

BREVIS BVRCHELATI RESPONSIO.

Ergovale, viue, &Pinadelle, &Fusche, Menochi:
Quippe Poetæ estis celebres, legumq; Periti.
Scribite vos, ego, vana tuli nam cũcta, tacebo.



ELOGIA QVAEDAM
IN BARPT. BVRCH. PH.
Conuiuium Charitatis.

ANTONII BEFFÆ NIGRINI
Fumidi Academici Innominati in Conuiuium Philosophicum, &c.

DVctus utraq; fame, qui BVRCHELATE peroptat
Vtramuis miris exsaturare modis,
Is CHARITATIS *amat prudens accumbere mensa,*
Dulci quam condis Nectare, & Ambrosia;
Nempe vbi Socraticis fit sermo semper, & altus
Conuiuas inter, doctiloquosq; viros.
Quem, dum tu æternis curas intexere chartis,
Fama tibi æternum texit & ipsa decus.

IVLII MORISII INHABILIS ACADEMICI
Innominati in Conuiuium, &c.
Ad Fumidũ Academicũ Antonium Beffam Nigrinũ.

F*Vmide, ne cupias, vt tecum carmine curem*
Ad BVRCHELATI *Sistere Conuiuium.*
INHABILIS, *non ille ego sum, cui scindere pennis*
Præstatur cælum, Numine propitio.
Tu tu siste pedem comede, ipse sitim quoq; pelle
Annoso, puro, Socraticoq; mero.
Longinquo, sat erit mihi tantum scire, Poëtæ
Quòd fuerit lautum, dulceq; Conuiuium.

Barptolemæi Ghellini Vincentini.

QVi cupiunt animos iucundo explere ſapore,
Deguſtent Sapidas Barptolemæe tuas
Burchelate dapes: tua nunc Conuiuia tentent
Deguſtanda Viris Regibus, atq; Deis.
Cælicolæ poſſent ſummo deſcendere Olympo
Manna relinquentes, nectareosq; cibos.
Vt tua libantes labijs Conuiuia primis
Dulcia deferrent Sydera ad alta Poli.

Camilli Bethignolæ Brixiæ Taruiſini.

BVRCHELATE *tuis cælo te laudibus æquas:*
Et Patriæ es noſtræ gloria, fama, decus.
Nam te Pallas amat, dulcesq; Heliconis Alumnæ
Ornarunt dextra tempora docta manu.
Per te omnes iubilant, gaudet Taruiſia pubes
Concelebrans ſummo nomen honore tuum.
Viue igitur fælix per longos Neſtoris annos,
Et mea pro meritis munera digna cape.

Reſponſio Burch.

BRIXIA *perpetuis meritò celebrande Camænis,*
Vt domus, & Patriæ gratia, ſplendor, honos.
Non Ego nunc valeo grates tibi, quando ſilentis
Ad ripas Sileam, ritè referre, Silis.
Sed pro me referent Phæbus, Phæbiq; ſorores,

Si bene de Musis quicquam Ego iam merui.
Perge Camille, stude: res, ætas, atq; Sororum
Donec fila trium perpetiuntur, age.



Ad B. B. Ph.
Hieronymi Aleandri Ode.

O Grate sacro Pieridum choro,
Cui Phœbus alto colle Heliconio
Ostendit herbas, quas saluber
In medicos alit hortus vsus;
Et quem canoris fingere vocibus
Cantus, qui olorum vel superent modos,
Dulcesq; plectro temperare
Edocuit sonitus eburno:
Tu, siue tractas Pæonias opes,
Quem figit atrox Mors, adamantinum
Clauum reuellis vertice ægri,
Dasq; frui æthereo recessu.
Tu, seu loquaci carmina diuidas
Lyra recumbens ad Silis herbidas
Ripas, relabi cogis vndas
Cantus ad arbitrium sonori.
At quæ virorum pabula mentibus
Paras, & almis roribus illitas
Mensas struis, Conuiuiumq;
Accumulas epulis Sophiæ,

Quos non stupentes alliciant? ibi
Stat Phœbus augur, stant Aganippides,
Et blanda Cypris, Gratiæq;,
Cum Salibusq; ioci, & lepores.
Abite curæ, & sollicitudines;
Conuiuio huic accumbere me iuuat
Prægestienti gratiora
Suppeditantem alimenta menti.
Mihiq; malim, has ambrosias dapes,
Quàm quæ beati pocula nectaris
Regi Deorum in tecto Olympi
Iliacus Iuuenis ministrat.

Io. Francisci Arquati Phyl. Tar.

QVI antiquas rerum quærit cognoscere causas,
Qui saturare cupit cælesti Nectare mentem,
Pascere, & ingenium sacris Epulisq; Deorum,
Hûc veniat, lætusq; bibat, lætusq; cibetur,
Splendida nanque modò hic profert conuiuia largè
Philosophus, Medicusq; datus Phœbo, atq; Minerua,
Nec quisquam dubitet: quamuis is deuoret istas
Æthereas, sapidasq; dapes, quod Pocula fulua,
Aut Epulæ noceant, arte, ingenioq; paratæ,
Vt saturent mentes, ægrorum & corpora sanent:
Quare agite huic citius iam læti accumbite mensæ.



Marci Sticchini Baſſanenſis.

NON *Plato, ſi redeat, nobis Conuiuia tali*
Pingeret Eloquio, ſit licet arte prior.
Arpini Ciuis, iactat quem Romula Tellus,
BVRCHELATE, *tuo vincitur ingenio.*
Tu dulci Ambroſia mærentia pectora paſcis,
Qualem non libant numina in arce Iouis.
Sermo tuus noſtras implet numeroſior aures,
Quo condire ſoles cordis amara mei.
Inſpicere hic videor Parnaßum, Theſſala Tempe,
Audire & ſacras ex Helicone Deas.
Candide Amice, dapes membris, animoq; dediſti:
Immemor Hoſpitij non ero quippe tui.
O noctem, cœnamq; Deûm: qua pectore curæ
Fugêre, vt Phœbo nubila nigra nouo.
Hic opis haud noſtræ eſt meritas tibi ſoluere grates,
Sed noſtri reddent mutua dona lares.

Ioannis Turrij I. C. Tar.

Q*Vam ſuauis, lepidusq; ſit libellus,*
Quem voluis modo, quam ſit & venuſtus,
Audi, perlege, diſce, amice lector;
Hic inter celebres viros, ſodales,
Conuiuasq; hilares, & eruditos
Ortus, ſeria tractat, & iocoſa.
Antiquas docet accubationes,
Citri & ſemina, frigida atq; vina

Quid


Quid prosint, noceantúe; deinde præbet
Ciuilem probè rusticationem
Mox tanquam digito indicat, monetq;
Quòd sint omnia vanitas, velutq;
Vmbra huius, leuis atq; fumus orbis:
Digna hoc sed lepido graui, & libello,
Et quantum locus ipse postulabat,
Et quantum CHARITAS *loci, quod ipsum*
Nomen denotat, elegans domusq;,
Quæ latè omnibus est patens amicis,
Doctisq; omnibus admodum probata,
Hic aër nitidus, leuis, serenus,
Emittit Zephyri tepentis auras;
Et fontes speculo velut nitenti
Reddunt è vitreo liquore formas:
Hic cernas varium rubentiorum
Pomorum genus ordine eleganti
Hinc inde & crocei coloris vuas,
Et paßim violas, rosas, ligustra,
Quæ effundunt Arabes, Syrosq; odores.
Rident omnia, gutture & canoro
Mulcent Ethera suauiter volucres,
Vt non Alcinoi inuidere cultos
Hortos Hesperidumúe poßit vnquam
BVRCHELATVS *amans decoris atq;*
Iucundus Latiæ lepos Camœnæ,
Magnum Socraticæ decus Sophiæ;
Hic natus Veneris, Venusq; secum,
Et lætæ choreas trahunt puellæ,

Et


Et læti choreas trahunt puelli :
Hic ſæpe Aoniæ canunt ſorores
Dilectæ Domino, ſimulq; Apollo,
Hos ſecum placidos colunt receſſus;
Ac ſedem, hoſpitium ſuum vocantque.
Ergo tu lepidum legas libellum
Nam quò plus releges, magis placebit,
Et quò plus releges, magis iuuabit.

EIVSDEM.

INTER Conuiuas veterum dum quæris amicos
Accubitus, vina aut frigida; Ruris opus:
Semina ſeu Citri, ſeu monſtras omnia vana:
Te Oeconomum, Medicum, Philoſophumq; doces.
Hinc animos hilaras feſſos, hinc corpora curas
Ægrota, & medicæ protegis artis ope;
Sic vires retegens naturæ, & grandia pandens
Arcana, oblectas, proſpicis, atque foues.



AD PRAECINENTES AMICOS B. B. PH.



INGENVA ingenia ingemui, ingeſtabile iuncto
Inſigni indulto ingeminato iterum.

Vos vos viuetis: Vobis Viuaria viuent,
Vatibus vniſonis vndiq; viſa viris.

BARPT. BVRCHELATI INSIGNIA.




NIHIL EST SIMVL INVENTVM, ET PERFEC.



SEPTEM PHYSICORVM CONVIVIVM

Anni M.D.LXXXIIII. in pago Charitatis.

BARPTOLEMÆO BVRCHELATO PRÆBITORE.



CONVIVÆ LOQVENTES

FEDERICIVS, CALCIA, QVINTIVS, BALTHASSARIVS, APROYNVS, GETVS, BVRCHELATVS.



BVR.



IAMDVDVM, *viri optimi, carpentum cum rheda simul domus vestibulum exiére, iamq; equos ab adoreo ad lupata deductos suspicor: &, quod magis morã aggrauat, seu ab illa aggrauatur, mensam apparatam arbitror, atq; epulas instructas adeo, vt nisi properemus, adeptum ex coci industria calidum sint remissuræ: horam etenim diei huius architriclino quintam statui, vt edulijs ritè dispositis nos illuc perventuros*

expectet: iam autem quarta præterit, & sexquiduo millia paßuum nobis remanent superanda; atqui vbi nam elegans Calcia, quem iam iam allocutus hic in proximo cæteris alacriorem sensi, seq; mihi prestò fore ante alios tunc recæpit?

FED. *Aderat profectò, fortasse omnium primus, sed illum in proximum attraxère pharmacopolium eius coætanei aliqui, vt cuiusdam futuræ venationis tempus statuerent opportunum; & certè miratus sum homines alioqui doctos, & religioni maximè deditos, & grandæuos adhuc feris insidias machinari: sed vsqueadeò ætatis symbolum, societas, ac vsus valet, vt, cum toties simul à primis iuuentutis annis vsque ad hæc tempora frequentarint venationem, ab huiusmodi actibus frequentatis illum cõtraxerint habitum, quem mutare, aut remouere, sicuti & amorem in talibus exercitijs, ac voluptuosis laboribus, vt fieri assolet, contractum mutuum, soli morti omnium prædatrici conceßum sit.*

GET. *Ecce ad nos lætus properat, vt qui ad amicos optimos, ad philosophos, ac Medicos celeberrimos, atq; eò lætius, quò cum his elegantius symbolum, quàm cum venatoribus tenet. & ò vtinam ego, veluti eiusdem sum ordinis, futurusq; compotator, aliorum vestrùm excellentiæ essem pariter compotitor.*

BVR. *Compater mi compotature nobiscum simul, ac compotiture, an es nunc petiturus ea, quæ ex meo computo in compitalijs nostris tu ritè eris cõpositurus? amabo hæc, atq; his similia in eßedis reseruemus, vbi*

& alia

& alia plura, quæ ingenium nostrorum omnium sapiant, referre dabitur ocium: &, si quid fortè in itinere fuerit prætermissum, illud à prandio ad viuum resecaturi, nisi quid impediat, assumemus.

CAL. *Adsum, viri doctissimi, à quibus futuri conuiuij nostri salem expecto: vos etenim esse Terræ nostræ, Ciuitatis inquam, salem existimo: quandoquidem perinde atq; sal ab incumbente putredine præseruat edulia, vos pariter ciuitatem nostram miris vestris ingenijs à corruptione seruatis: & si labem contraxerit, vos remedijs altè exquisitis illi pristinam restituitis sanitatem: & profectò omne tulit punctum Medicus ille, per quem habita seruetur sanitas, & amissa recuperetur, vt innuisse apparet Princeps Aboali in vestibulo magni Canonis.* Auicen.

BVR. *Et hic esset occasio disputandi, sed vbi facto opus est, ibi verbis multis non est locus, vt inquit Comicus, adeamus.*

BAL. *Eia igitur carpe viam senior Federici, te etenim, sicuti annis, ita & scientia grauiorem omnes insequi volumus, vt tenemur.*

FED. *In ipso itinere me vobis me ipsum detecturum vereor, veluti annis superiorem, itidem doctrina inferiorem esse; siquidem, quod Lyricus Poeta in Epistolis præcinebat.*

Multa ferunt anni venientes commoda secum, Horat.
Multa recedentes adimunt.

QVIN. *Modestissimum semper te experti sumus, ò Federici, nunc autem vltra modum, quando-*

quidem nostrùm nemo abs te addiscere aspernaretur, abs te inquam, quem, cum superioribus annis, antequam scilicet Ragusium Prothomedicus appulisses, sapientem, subtilem, ac diligentem nouerimus, reuersum in patriam & sapientissimum, & subtilissimũ, & diligentissimum hilares experimur: idq; tuæ industriæ, virtutis, atque annorum merito, in tempore etenim omnia fiunt, & temporis longitudo est necessaria ad comprehensionem veritatis, vt notabat Auerroes: quin & Plato dicebat, quòd mentis oculus tunc acutè incipit cernere, cum corporis oculus deflorescit; si quæ igitur incommoda ferunt anni, ea sunt corporis, non animi passionès.

Auerr.
Plato.

FED. *Estò, Quinti dulcissime, sed te haudquaquam præterire scio Galenum nostrum librum composuisse, in quo vberè disputat, ac ostendit, quòd animi mores corporis temperaturam sequuntur: propterea dum corpus patitur, & animum secum pati, ac eius vires labefactari necesse est.*

Galen.

BVR. *Missa hæc faciamus rogo: non obscurum etenim est, doctissimum Federicium et animi, & corporis bonis, quantum sexagenaria portat ætas, exuberare. Iam domum peruentum est: eia promissas huiusmodi vestes infra hoc terrestre cubiculum reponamus. heus aurigæ, posteaquam phaleras equis accommodastis, & helcia, modò illos fræna mandere procurate: charopos illos carpento aptetis, stellatos rhedæ. Viri optimi conscendatis: Tuq; prior Federici posteriorem, atque altiorem hunc cape locum, vbi & commodissimè,*

modiſsimè, & minùs pulueri expoſitus, atq; prætereuntium viſioni, liberè permanebis: vtq;, quod pluris æſtimo, in te, veluti in fulgentiſsimum ſpeculum proprias imperfectiones dignoſcituri cæteri intueantur.

FED. *Iam conſcendi, hinc à dextris Calcia, tuq; Gete, à ſiniſtris Quintius, tuq; Burchelate Præbitor noſter comites lepidiſsimi, abſq; iactura temporis conſcendatis. Balthaſſarius autem cũ eius affine Aproyno currum aſcendent: neq; illos, neq; nos ita fuiſſe diſpoſitos pœnitebit: cum vtrobiq; ſermocinandi occaſio ſit minimè defutura.*

APROY. *Ita equidem, & ſi aliqua fortaſſe ſermones noſtros obſcuritatis nubes inuoluet, illam tui intellectus radijs fugatam iri, atque diſperſam non dubitamus.*

BVR. *Iam autem citentur equi, & bene valeat Taruiſium noſtrum, ſaltem per diem, & ſi id fieret perpetuò, non propterea ocioſi nos Medici, atque oſcitantes per officinas diſpoſiti maneremus; quinimò à corpore ad animum medicina noſtra, & id quidem nobiliùs, ac publiciùs deriuaret: expergiſcerẽtur inquã Philoſophia, Rhetorica, Pöeſis, atque aliæ virtutes veſtræ, viri doctiſsimi, quibus non indiuiduo, atque huic ſignato, quemadmodum Medici, ſed & cunctis ciuibus, & exteris, quin & futuris ſæculis iuuaretis, propterea Apollo, cui primas in Medicina ſedes Naſo conſtituit ita præcinens,* Ouid.

Iuuentum Medicina meum eſt, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Et

Et poetriæ Deus, & Musarum Princeps statuitur, vt qui animos magis curaret, quàm corpora, cũ plus tẽporis in Parnasso cũ Iouigenis sororibus insumpsisse legatur, quàm in corporum langoribus medicandis.

GET. *Tametsi per menses, nedum per diem, ægrotaret ciuitas nostra, adest præstò senior noster Bertonius præter alios iuniores, cuius humeri huiusmodi onus non semel commodè pertulerunt, dum vos alij in alijs ciuitatibus, seu morbo quopiam, aut cura aliqua grauiori oppressi distinebamini. Cæterùm quicquid alij in medicina ociantes tractarent, te, Burchelate mi compater dulcissime, haud dubito quòd Pegasides non inuitum, nec ociosum diutiùs detinerent: earum siquidem obsequentem, ac non pœnitendum alumnũ te continuè præmonstrasti: meæ in his vlterioris orationis laborem tollant ea, quæ in poesi patrio idiomate, tum latino, atque Iberico diuulgasti, sed adhuc magis quæ suppressa in nonum fortaßis annũ asseruas domi.*

FED. *Eia igitur nunc, posteaquam à curis Medicis omnes immunes sumus, nos alicuius epigrammatis participes facere ne graueris, neque te forsitan nobis retulisse talia pœnitebit: interdum etenim & nos alij, ni fallor, Genio indulgentes fælicioribus annis ad placidas Silis vndas cum Nereidum choris metricè ludebamus.*

CAL. *Dicas obsecro, gaudet nanque, vt dicebat*
Macrob. *Macrobius, quisquis prouocatur ad doctrinam suam in medium proferendam, quia nemo vult latere quod didicit, maximè si scientia, quã laborè quæsiuit, cum*

paucis

paucis illi familiaris, & pluribus sit incognita: Tunc enim videntur consequi fructum laboris cum adipiscuntur occasionem publicandi, quæ didicerant, sine ostentationis nota, qua caret qui non ingerit, sed inuitatur, vt proferat.

BVR. *Ne in singulare certamen descendere velle videar singulam singulis responsionem nunc prætermittam, non immemor tamen singularum uestrùm orationum: propterea igitur gauderem talem mihi obiatam fuiße detegendæ scientiæ occasionem, dummodò aliqua apud me scientia remaneret, cum illas potius ad fores introspiciens salutauerim, vos autem illarum facti estis socij, ac poßeßores: quapropter subnectebat vir consularis, contrà magnæ amaritudinis* Macrob. *eße si coràm multis interroges aliquem, quod non optima scientia adeptus sit, cogitur enim aut negare se scire, quod extremum verecundiæ damnum putant, aut respondere temerè, & fortuitò se euentui veri, falsiue committere: vnde sæpe nascitur inscitiæ proditio, & omne hoc infortunium pudoris sui imputat consulenti. Vos autem qui ad taciti Silis latices stylo sublimiori defæcata vena estis quandoq; vaticinati, illa quæ & nonum annum, et ephæbeiam exceßerunt, siue eorum aliqua præcipua, viri doctißimi, eia nunc proferatis.*

QVIN. *Vtcunq; sit, ego neutiquam te propterea, Burchelate, excusarem, non etenim scientiam abs te nunc aliquam petimus, quare nec amaritudinem, nec laboris fructū es percæpturus; ast aliquid, quod scien-*

tiarum

tiarum merito compegisti; quò leuior sit nobis via, audire noster est animus; horum autem epigrammata, uti sui æui casus repræsentantia, modò maneant silentio commendata, cum magis recentiorum casuum elogia, seù poëmata sit gratius auscultare, nouis etenim pleriq; omnes narrationibus delectantur.

BVR. *Tametsi ea, quæ vos pepigistis placerent decies repetita, nihilominus in eorum gratiam, quorũ verba mandata reputo, aliquid referam, quod & hora, & breue iter exigere videatur: sed quidnam Medicus Medicis breuius offeram? illud sanè quod anno superiori de duobus illis Medicis nostratibus uita functis mærens præcineram: dum quippe circa libri Epitaphiorum coronidem obuersarer, quem longo sanè labore, ac industria in Patriæ nostræ gratiam cõpilaui, non quidem ad alienæ voluntatis arbitrium, sed syncero, liberaliq; prorsus animi mei iudicio, ac ingenua in patriam voluntate. En igitur tetrasticho n ad Finei nostri tumulum.*

Lib. Epitaphior. Buch.

FINEVS hic clarus Mathesi, Sophia, arte medẽdi,
Et solers alijs, sedulus atque sibi,
Clauditur: ah Euclydes potius, Plato, et ipse Galenus
Extincti hic fato flebiliore iacent.

alterum autem ad senioris Fontanæ nostri sarcophagum ita sonat.

Hic FONTANA iacet Medicinæ splẽdidus arte,
Quem deflent ciues, extera gensq; simul;
Iurè quidem: nam tantus homo per sæcula surget
Vix sibi: dis, sapiens, sedulus, atq; pius;

nec

nec tertium tetraſtichon reticere lubet, quod de ipſius Medici podagræ, cynicè quippe, ſermonem habet, ſ.

Iamq; podagra modum poſuit cruciatibus, atqui
Mors illi poſuit concita iurè modum.
Soluere nanq; illam Medicus, medicina, medellæ
Non potuere, breui mors tamen vna poteſt.

Verùm enimuero vt quid futilia hæc, & ludicra hominibus emunctæ naris? niſi vt officium vobis ſoluerem meum, vtq; pariter erga phyſicos illos grauiſſimos iamdudum mihi amicitiæ fœdere coniunctiſſimos amoris mei ſignũ qualecunq; præſtitum demonſtrarem.

CAL. *Quippe ſophocleo tua carmina digna cothurno: ecquis facta eiuſmodi clariùs, breuiùs, elegantiùs, quin & veriùs præcinere potuiſſet? tametſi, vt de poſtremo loquar, nequedum leuem, ſed & nodoſam podagram ſæpius ſe ſoluiſſe profiteatur eminentiſſimus ſpagirus Theophraſtus Paracelſus.* Virg. Theoph. Parac.

BVR. *His, ac ſimilibus in aliud tempus reiectis, extrà vlterius oculorum aciem amici optimi dirigatis: obuiam etenim ſibi fiet noſtrum hoc ſuburbanum.*

FED. *Tuum ne iſtud eſt è regione poſitum prædium, vbi perfectum illud palatium rubentis operis ſeſe efficit cernentibus ſpecioſum, perinde atq; crediderim ambulantibus, frigusque opacum captantibus ſpacioſum?*

BVR. *Illud quidem eſt, ſed non vtiq; tale, quòd tantos, quales nunc eſt accepturum, hoſpites mereatur.*

QV. *Si quod intus eſt externo aſpectui correſpondet, quod minimè vereor, nedum Medicos, ſed &*

Principem valeret latiùs hospitari, non etenim potest esse, quin duodecim inuicem seiuncta per thalamos cubilia sterni poßent .

BVR. *Vos videbitis ; Ecce autem serui alacres, Virg. coloniq́; seduli persenserunt quòd Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum : quapropter in valuis hinc inde dispositi nos expectant. Iam carpentum carpentario, aurigæ potius relinquamus : & ego in ascensu vltimus in descensu nunc primus ero :*

BAL. *Ecquid imaginabamini nos de longinquo admirari ? Ecce vobis citiores fuimus ad descensum: nec aliter vobiscum egimus, atq; cancer cum vulpe, qui chelis ad caudam appensus, dum reuersa ipsum gradu testudineo properantem cernere cogitasset, caudam relinquens ipse prior ad metam dicitur peruenisse: cuiusmodi picturam nō loco in vnico vos Taruisij vidiße cum dicterio, quòd capiuntur etiàm vulpes, non dubitabo .*

CAL. *Equidem vidi, & eius sensum hactenus ignoraui: cæterùm quod auguror audite : quemadmodum illa cauda vulpis chelata tunc dici poterat: sicuti cauda vra dicitur apud Græcos, Bura tum diceretur, vt dicitur aratri cauda, Burchelata ea vocari potuisset: teq́; inde meritò inuentorē illius symboli iudicari .*

BVR. *Bellum sanè domus Burchelatæ ethymon inter cancros, et vulpes venationem exercens, Pater, es expiscatus ; attamen nullo tempore mihi quicquam cum vulpe commune fuit: neq; ego aliquem vnquam decipere pertentaui, vt non propterea manserim intercæptus :*

tercaptus: ueruntamen illud potius integrum ex buri, & chelis conflatum sumerem: cum Burchelatus vester, quem optimè nostis, duo præsertim profiteatur symbolo huic ex aratro, et cancro nequaquam absona: indagare nempe naturæ arcana, veluti rimatur aratrum terræ viscera.

Sauciat & duram vomer aduncus humum. Ouid.

Et pariter nullum lædens sese ab eum lædere volentibus, vt chelis cancri faciunt, acriter defensare. Sed hæc spacijs nunc disclusus iniquis relinquo, aliàs forsitan à me latiùs memoranda. Eia vos inquilini Virg. cum essedarijs istis equorum curam, curruumq; habetote, vt nec fœnum, nec seges desit, neq; sub Solis radijs rhedæ perperam patiantur: equos propterea in id equile, currus verò sub illud nubilarium collocetis. Accedatis amici optimi, & schalas nunc ascendamus, vbi vestes nostræ puluerulentæ ab his sedulis famulis purgabuntur.

FED. *Hìc mediusfidiùs, neq; Silenos Alcibiadis cernimus, neq; pharmacopolarum nostrorum capsulas inspectamus, cum interna externis ritè respondeant, illi verò intùs sint operosi, extra autem rudes: atq; illæ extrorsum auratæ, introrsum uerò aliquid mucosi oleris intercludant: sed priùs puluerem, & si luti vobis est quicquã deijciamus: erat enim indecorum, inquit Arist. multo cum sudore, et puluere accedere ad conuiuium, quippè cum viro politico, neq; sordidum esse, neq; squalere conueniat, neq; gaudere limo, vt dicebat Heraclitus.* Arist. Heracli.

APR. *Ego iam excusso puluere per id ambulachrum, amplum inquam atrium splendido pauimento conspicuum spacians legam lubens quæ in medio primùm supra fineſtram hanc ad Aquilonem tum ad cuiusq; cubiculi fores sunt suprascripta, & sanè crediderim te, amice, domum hanc ex Varronis consilio exornasse, qui ita scriptum reliquit, cum villam haberet opere tectorio, & inteſtino, ac pauimentis è nobilibus lithoſtrotis spectandam, parum putaſſes esse, ni tuis quoq; litteris exornati parietes eſſet. legã igitur.*

Varro.

Charitas & charites cara cum coniuge cogunt
Carmina cum clara condere culta cheli.

Dignoscatis sodales optimi, Poetæ noſtri elegantiam, atq; admirabilem in componendo facilitatem, vt in hoc diſticho littera C, præposita continuè ad capita dictionum, & amœni ruris, & Gratiarum, & dulcis sponsæ, & lyræ suauis, cuius ope poesim ipsam exercet, alacrius elegantem memoriam repræsentet. cæterùm cætera videamus.

GET. *Mirabilior adhuc apparet Burchelatus noſter in Mammea illa in Tyrocinijs præcantata, vbi viginti extant latina carmina, in quibus nulla prorsus alia littera præter M, ad dictionum capita reperitur, quod apud me summi non minus eſt artificij, quàm laboris.*

Tyroc.

QV. *Sensim obsecro, ac pedetentim; cũ bigamus exiſtas ò Burchelate, quantumuis necdum septimum ætatis luſtrum peregeris, cuius nam vxoris memoriã*

in

in hoc versu recolis? prædefunctæ Amiconiæ, an modo viuentis Istraniæ?

BVR. *Non inquam inficior, & viuente Amiconia, cuius obitus, ac iactura, plurium meorum carminum perinde atq; amicorum meorum in mei solatium fuit gemebunda materia: me satis multa carmina hic conscripsisse, sed vix dum perfecta in hunc modum fabrica, illa mihi linquens infantulum migrauit ad superos: porrò ego per annum viduans, dum sub æstiuali tempore Liberam Istraniam adolescentem certè ingenuam in coniugem traduxissem, ipsam de nobilis materteræ penetralibus ad hæc liberiora, ac lætiora loca deuexi, vbi secum ocians, & Hymenæo, et Musis mea distribuens opera, hæc qualiacunq; disticha in ianuis scriptitaui.*

APR. *Iure igitur ex hac parte ad hunc thalamū duo hæc carmina compinxisti.*

Hymen ades, Iuno Lucina accurre vocata,
Dij bona coniugijs omina ferte bonis.

QV. *Ritè quidem dispositum, nam & nuptiarū, & puerperij, atq; inculpatæ bene coniugatorum vitæ ordinata mentio, ac inuocatio reperitur.*

APR. *Hic in proximo à dextris, ni fallor supra culinæ fores, hæc duo carmina sunt exarata.*

Sit fæcunda Ceres, sit pleno Copia cornu,
Quò reddat mensæ fercula opima cocus.

QV. *Bonum planè omen istud pro nobis pransuris est, non etenim de Poeta nostro dici potest, vt scitis, quod quandoq; de se ipso dixerat Flaccus.*

Et

Horat: *Et laris & fundi paupertas impulit audax,*
Vt versus facerem.

Neq; dubitandum est aliquem in præbitorem nostrum dicturum esse ea quæ Catullus in pauperrimum Furium euomebat.

Catul. *Furi, cui neq; seruus est, nec arca,*
Nec cymex, neq; araneus, neq; ignis:
Verùm est pater, & nouerca, quorum
Dentes vel silicem comeße poßunt.

Cum videamus hinc inde capsas, mensas, & cathedras: tum rubicundiores famulos, & pedissequas: nec patrem habeat, nec nouercam, sed matrem verè matrem familias cuncta optimè disponentem. iam & ego proximum huic adyto adscriptum distichum legā.

Iste sacer Musis secessus: quisquis alumnus
Harum adeat, scribat seria, siue iocos.

Pateret vtinam ianua, vt videremus quales libros hic ruri teneat Doctor noster, Medicos ne, an Poeticos, quod versus innuit, an vtriusq; potius generis, sicut credo: miscet etenim semper studia, & ludo seria, quò nullius eorum satietate debeat detineri.

BAL. *Ego autem, quod me nunc valde iuuat, ex altera parte ad ambo cubicula suprascripta hæc disticha, Domini, vobis legam.*

Hospes, fortunet tibi itinera Iuppiter: adsis,
Ingredere, accumbas, vtere, vade, vale.

In altero autem istud est.

Aduena id hospitium tibi sit, velut illud Vlyßi
Troia abeunti quod præstitit Alcinous.

Quocirca,

Quocirca, si forte fortuna hoc vespere Taruisium repetere minimè valeamus, non poterit harum ædium Dominus se excusare, quin & cænam præstet, & lectisternia, ut interim prætermittam dona, quæ Aretes Alcinoi Regis coniux Vlyßi tradidit ampliora.

CAL. *Imò vereor magis, ne vim propemodum nobis inferat, quò minus Taruisium repetamus. Cæterùm doleo quòd non legimus, quæ inferius in alijs liminibus scripta sunt; ille, ut video, antiquorum in disponendis cubiculis ritum seruauit, etenim illi singula domus loca singularibus Dijs nuncupabant, veluti de vestibulo dicebat Ouidius.* Ouid.

Hinc quoq; vestibulum dici rei, vnde precamur,
Quam famur vestam, quæ loca prima tenet.

Sed hæc apud Aulum Gellium in Athicarum noctibus vberiùs lectitantur. Aul.Gel.

BVR. *Dum vos optimi viri hæc qualiacunque carmina oculis cucurristis, illum meum, quem vidistis, architriclinum sum allocutus, qui retulit omnia ritè eße disposita, quæ ad futurum prandium nobis necessaria, ac congruentia visa sunt; iam lymphis manus exponite, quas calamistratus ille puer de gutturnio pelui supposita uersabit sedulò, pollubrum sinistra manu teneto, dextra vas cum aqua, dixerat Fabius Pictor apud Nonium; & postmodũ hilares ad prandium descendamus: in uiridario siquidem parari uolui, (hypætrã mensam diceret Viues, cum sit sub dio) quò sensus omnes alacriùs potirentur: quandoquidem, & oculi exhilarabunt cernentes naturæ opera affabrè* Fab. Pi. Non. Viues.

uariata.

variata, illaq; artificiosa industria disposita, ac elaborata, flores, fructus varios succrescentes, quin & viatores prætereuntes, vbi Esseda festinant, pilenta,
Horat. *petorita, licebit infra muros in mensa stantibus cernere, ac salutare, &, si quis amicior fuerit, illi alacriter propinare; ita aures oblectabunt innumera pictarum auium murmura audientes, variosq; susurros: rosæ variæ, iasmini, genistæ, atq; alij flores fragrantes, atq; herbæ gratum emittentes odorem amicè vtiq; ferient odoratum: si gaudebit palatum, ac potietur, ceu rerum delicatarum attrectatione, vos videritis, iam descendamus.*

FED. *Iam venimus quocunq; iubes: ecce sodales lepidißimi, abacus hic instructus valde, & tametsi ibi argentea vasa deficiant, istud locus & fert, & patitur: verumenimuero haudquaquam desunt stannea, quæ quidem adstant in magna copia: veluti & ob nimium candorem splendida illa testacea, maiolica nobis dicta, cum Taruisina iuremeritò dici poßint: quandoquidem, vt nostis, iampridem ad nos aduentarunt fratres duo figuli Fauentini, qui cuiuscunque generis vasa isthic efformant, atq; elaborant, nedum orbes, lances, mensas, & patinas, sed & malluuia, et gutturnia, & salina, & gabatas, & paropsides, & ænophora, &, quod vno uerbo conficiam, toreumata omnis generis adeo speciosa. Artis Phydiacæ toreu-*
Mart. *ma clarum. diceret Martialis: ut eorum omnium fulgor oculos nostros perstringat. porrò splēdidæ inde sunt mensæ sub eleganti vitium pergula topiario opere speciosa*

ciosa positæ, ac floribus uarijs, & folijs exornatæ, domini, appropinquemus: et manibus aquam de gutturnij episthomio profluentem excipiamus.

BVR. *Ohe, iam satis: missas facite quæso huiusmodi recusationes, inuitationesq; mutuas, neq; vlteriùs tergiuersando alter se faciat altero inferiorem: nos omnes malluuium hoc circundantes profluenti iam aquæ in gyrum inuicem unà manus subijciamus.*

CAL. *Mensam rotundam parasti, ut video, ò Burchelate, antiquorum memor instituti, quod apud Athenæum, ubi de Nestoris poculo philosophatur, animaduerti, quin & illam sentio nulla propemodum iniuria temporum perituram, cũ marmorea sit, ac immota, monopodium sanè, quales erant complures apud ueteres, quod uel Homerus innuit asserens,* *Athen.*

Potans, et comedens etiã, nã mensa parata astabat. *Homer.*

BVR. *Et iuuat quidem in disponendis ad mensam conuiuis illam rotundam esse, nullus enim alteri potest dici in superiori, aut inferiori loco constitutus, sicuti nec subuerti posse, dum fæcundi calices sæpe ad pugnam excitent, veluti centauros cum lapithis, vt est apud Ouidium excitarunt, ait enim,*

Protinus euersæ turbant conuiuia mensæ, *Ouid.*

Raptaturq; comis per vim noua nupta prehensis.

Tametsi istud Philosophis sobrietate, atque modestia claris minimè quidem potest contingere: verùm non semper huic mensæ sapientes accumbunt, cum & bardi agricolæ sæpius istuc à pastinatione, ab eorum inquã rusticis exercitijs ad commodiùs esitandum diuertãt:

hunc itaq; discum meum sedentes vestrûm præsentijs coronate.

QV. *Certè de loco in conuiuijs nulla deberet esse quæstio, sit modò superior, an inferior quis constitutus, videretur enim metuere, vt dicebat Plutarcus, ne quemadmodum Ægyptij stellas aiunt uiribus pro loci, in quem attolluntur, aut deuehuntur conditione augeri, minuiúe, ita sibi locus claritatem, obscuritatemúe afferat: & Lacone illo videretur deterior, si pro loco huiusmodi litigaret, qui, cum ei in choro quodam vltimum locum præfectus aßignasset, benè, inquit, abs te factum est, qui rationem huius quoq; loci cohonestandi repereris: Non enim curandum est quo loco, aut post quos collocemur, sed vt quibus aßidemus cum ijs bene nobis conueniat, statimq; in nobis ipsis principium, ansamq; amicitiæ inesse ostendamus, dum non succensemus locanti, sed laudamus, quòd talibus nos adiunxerit: etenim qui loci causa irascitur, is magis ei iuxta quem positus est, quàm collocanti succenset, & utrique infensus euadit.*

Plutar.

GET. *Nunquid is, qui conuiuas excipit, eos ad mensam debeat collocare, an ipsorum arbitrio collocationem permittere, est Plutarchi 2. quæstio cõuiualiũ, legat qui volet: nec tempus postulat, vt eam nunc pertractemus, cum & de conuiuatorum numero posset quæri, quem Gratiarum numero non inferiorem, nec superiorem Musarum, uti Burchelatus noster fecit, qui mediũ statuit, scitè Patres nostri constituerunt.*

BAL. *Ad huius rei propositũ memini me legisse apud*

apud Ottomarum Luscinum Argentinum in salibus, Græcum quendam in Germania aliquantisper commoratum, cum domum rediens ab amicis de rebus nouis, atq; insolitis, ita vt ferè fit, intorrogaretur, illum, vt erat Platonicus, cui ἰσότης, *idest omnium rerum æqualitas maximè omnium probatur, nullum Reipublicæ statum Platonicæ magis accedere, si ad æqualitatem respicias, quàm illum Germanorũ prædicasse: in Germania enim, inquit, uideas* ἰσότητα, *idest æqualitatem, primo studiosissimè obseruari in conuiuis una mensa collocandis: qua in re cum nos mensis prælongis vtamur, diu solliciti, & anxij, vt præstantissimum quemq; honorificentiori loco dignemur, illi contrà quadratas habent, quibus octo conuiuæ ita accumbunt, vt nescias cui locus contigerit eminentior, tanta est prorsus sedium parilitas. Nos item hyeme honoris respectu foco admouemus viros nobiles; vulgus, ac seruos procul inde arcemus: illi contrà, in hybernaculis suis, in hypocaustis inquam, calorem, & fomenta citrà delectum omnibus impertiunt. cæterùm his, & huiusmodi in aliud tempus reiectis iam huic floridæ mensæ coronam nobis circumsedentibus construamus; en diriuitores fercula copiosè in abacum repræsentant.* Ottom. Luscin.

BVR. *Christianorum domesticum institutum seruans, ego vobis omnibus iunior Deum precatus mensam, esculentaq; benedicam.* ✠

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur, Virg.
Iam prosint omnia. Euge cedò architricline salitas carnes, farcimina, petasonem cum bouillis linguis, en

citri frustula cum saccaro, & rosacea, procemiamini: iam vesci incipiatis Medici, nec quidem semper medicè, nec modicè, sed largiùs. Apponas assatos palumbes, & pullos, atq; anates,

Viscera tosta feras vitulorum, oneresq; canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumq; ministra.

Vt dicebat Euander apud Virgilium.

FED. Transcurrunt gabatæ, volantque lances,
Has vobis epulas habetæ lauti, vt dixerat Mar.

Mart. Cæterùm, amice, non dixit vitulorum, si rectè recolo Virgilius octauo Æneidos, ast taurorum, vt etiam sexto, quando dixit:

Virg. Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Vbi vnum aduertendum iudico, Homerum scilicet, etiã Regibus assatas bouinas carnes apposuisse: Aiacē propterea Agamemnon post duellum bouillis tergoribus decorauit, & Nestori iam seni, atq; Phœnici assatam carnem præbuit, & Alcinoo præterea, qui vitã delicatam elegerat, reuocans nos ab inordinatis voluptatibus. Menelaus etiam, cum filiorum nuptias celebraret, Telemacho bouis dorsum apposuit,

Sic fatus, dedit his præpinguia terga iuuenci.

Homer. Sed iam Macrobij Prætextato volo assentiri, dum *Macro.* diceret, solere cibum, dum sumitur, tacitos efficere homines, potum autem loquaces.



BVR. Nunquam vos tacitos volo, conuiuæ optimi, nunquam loquaces; id etenim euenire solet hominibus Cereris, ac Lyberi studiosis, vt dũ deuorent taceant, multo autem mero proluti blatterent, ac insulsa

loqua-

loquacitate luxurient; Sed bellos homines, vt monebat M. Varro, hilares, venustos, ac lepidos. quod autem ad tauros spectat, quamuis non adeo opipara cõuiuia, præterquam Regia, & nuptialia frequentarent antiqui, ac nos facimus isto sæculo, tametsi meum hoc sit adeo frugale, & simplex, illi etiam quandoq; uitulos dissecabant, vt obseruauimus ab Ænea factum dicente Marone, M.Var.

Tres Eryci vitulos, & tempestatibus agnam Virg.
Cedere deinde iubet, soluiq; ex ordine funes.

Dixit autem Virg. 8. Æneid. Viscera tosta ferunt taurorum; propterea, quoniam sacra tunc solemnia Euander Herculi celebrabat, nec nisi bouis occisione sacra huiusmodi fieri consueuerant: nanq; vt præter Maronem referebat Pomponius Lætus, vbi de Romanis sacerdotijs loquebatur Victor Hercules cæso Herione Chrysaori filio in Erythra, quæ est Insula Oceani Hispani, abacto nitidarum boum armento in latium uenit, & prope Tyberim loco herbido procubuit, vt læto pabulo reficeret boues, Cacus latronum princeps eximias boues duas caudis in speluncam traxit, Hercules somno excitus lustrato grege, cum partem abesse numero sensit, omnia circuit, aduersa vestigia cõperit, confusus nouitate rei ex loco infesto agere armentum cæpit: cum actæ boues desiderio relictarum mugissent, reddita fuit è spelunca vox, quæ Herculem conuertit, inuenta fraude, Cacum neci dedit, Concursus trepidantium pastorum aduenam reum cædis faciunt apud Euandrum, qui miraculo litterarum Pompo. Lætus.

inter

inter rudes artiũ homines ea loca tum regebat. Is intuens habitum, formamq; viri, rogat qui vir eßet, ubi nomen, patremq;, ac patriam accæpit, quia sic Carmenta mater eius vaticinata fuerat, extemporalem aram Herculi erexit, iuuencum indomitum mactauit inde seruatum est, ut quotannis Romani bouem indomitum Herculi immolent, quam hystoriam,

Virg. Postquam exempta fames, & amor cõpressus edendi Rex Euandrus retulit Æneæ: & propterea hunc bouem perpetuum vocauit Virg. quando dixit,

Vescitur Æneas simul, & Troiana iuuentus
Virg. Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Tametsi perpetuum bouem, integrum in labro bouem poßemus interpretari. præterea scio equidem Athenæum, vbi Carani Macedonis conuiuium explicat, antiquorum miros apparatus, grandesq; sumptus extollens hæc subiunxiße. Apud maiores nostros boues
Athen. integri, cerui, & agni assantur, ac coquus postremò totum assans camelum, ita ut monstrum videretur, magno Regi calidum apposuit: sicuti etiam Aristophanem in Acharnensibus Barbarorum magnificentiam
Aristophanes. declarantem hæc fuiße locutum.

Nos hospitatus est, & integros boues
Ex clibano apposuit: quis vnquam per Deos
Furnaceos vidit boues superbiæ opus? &c.

Scitis nihilominus patrem illum familias, de quo in
Euang. Euangelio, occidisse vitulum saginatum, dum propter
Isaias. inuentũ, seu reuersum filium lætaretur. & Isaiam 22. dixiße, & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos,

& iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. vt propterea et boues, & vitulos, sicut nos facimus, comedisse antiquos non sit dubitandum.

GET. Vtcunq; de his, dixerim ego interea quemadmodum in thesauro sanitatis Castoris illius Durantis est registratum. Castor. Duran.

Assiduos habeant vitulos tua prandia in vsus;
Cui madida, & sapido iuncta tepore caro est.

Sed en munera lepidi Martialis nobis gratissima. Mart.

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hedis
De primo matrũ lacte, colostra damus. inde autẽ,
Filia Picenæ venio lucanica porcæ:
Pultibus hinc niueis grata corona datur:

Et quæ non egeant ferro structoris ofellæ Ecce quam elegantes, quam tumidæ, quanto saccaro conspersæ suc centurientur. iam vescamur hilares grati conuiuæ.

AP. Si Geometræ circularem figurã cunctis alijs, vti perfectiorem, præposuerint, fecerunt meritò: hinc amicus noster, cuius præsens conuiuium alijs multis, & eduliorum copia, & virorum sapientum præsentia, absit verbo iactantia, cum præsentis, tum præteriti sæculi esse præferendum non dubito; figuram hanc in omnibus, quibus potuit, est imitatus; mẽsam etenim rotundam posuit, purum, & sine labe salinum, vt dixit Persius. orbes, paropsides, panes, pocula; &, quæ sui natura minimè sunt rotunda, ea in circuli modum disposuit, sicuti hæ teretes Lucanicæ rotũdata colostra coronant, & pariter isti pueri, veluti dicebat Maro, Persius.

Crateras magnos statuunt, & vina coronant. Virg.

CAL.

CAL. *Vtiq; Prisci homines, qui victum humaniorem hominibus statuerunt, cum circularem esse ornatum arbitrarentur, quod ex Solis quidem, ac Lunæ forma coniectabantur, simillimasq; phantasias eas, quæ essent circa perpetuam cæli omnia continentis cõuersionem, æquum esse putarunt, vt in eandem figuræ similitudinem formarentur: quamobrem & mensas circulares parabant, & tripodes Deis ipsis consecratos, et placentas circulares, astraq; habentes inspersas,* Athen. *quæ Lunas appellabant: Panem quoq; vocarunt, quoniam omnium figurarum circulus est perfectissimus, & absolutus. & poculum, quod humidum nummentum caperet, ad mundi ipsius imitationem circularem fecerunt, ut curiosè notat Athenæus in cænis sapientũ.*

CAL. *En domini missus alius à rotunditate parũm declinans, Lac coagulatum, quod quidem iuncatam dicimus, nec abre, de fiscella inuersum nunc in paropside, de illa inquam Tibulli dicentis,*

Et fiscella leui detexta est vimine iunci.

quàm candidum est, quàm solidum, quàm læue.

GE. *Solidum apparet quidem, vt quod ouillum iudicem, sed, nisi hallucinor, illud & subobscurum uideo, ac modicum inæquale.*

BVR. *Ouillum sanè lac est de mulctris inquam meis Paternianis, in cuius villæ Planitiæ centũ meæ depascunt oues: asperitatis autem, pallorisq; dulcem causam an non dispicis, Compater, esse saccarum?*

AP. *Quid opus est verbis? gustate quàm suaue, quam recens: nescio an veteres iuncatam facerent,*

cum

cum apud Auctores, quos legerim, mihi eius mentionem minimè licuerit inuenire, sed casei tantum.

BVR. *Imò magis. Epigrammatarius siquidem nouit, vocauitq; metam lactis dicens,* Mart.

Nec venit inanis rusticus salutator.
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamq; lactis sassinate de sylua.

quod alibi adhuc clariùs, ni fallor, idem versificans intellexit sic dicens.

Rustica lactantes nec misit fiscina metas.

& Calepinus Ambrosius credit eam Iunculi nomine fuisse præditam apud Priscos. Ambr. Calep.

FE. *Quicquid dixerit Mart. Ego auguror hm̃ci lac coagulatum Priscis Romanis melcam fuiße, de qua Galenus lib. de Succorum bonitate, ac vitio ad refrigerandum post alia dixit. tum melca, quam sic Romani vocant, refrigerata, & aphrogalacte, lactarijsq; edulijs, & 7. meth. med. dixerat, cibos præterea ad eundem modum refrigeratos identidem me illis permittere vidisti: in quibus est, & quam melcam uocant, vnus is quoq; Romæ laudatorum ciborum, ueluti etiam aphrogala. & Paulus Ægineta lib. 3. clariùs melcam referens ait. & his cõuenit dare lac acidum. & apud Romanos melcam appellatam (est autem obsonium quoddam ex lacte) Melcæ autem præparatio à Cassio Dyonisio Vticensi ex Paxami sententia libro de agricultura (falsò hactenus Constantini Cæsaris opus creditum) traditur hoc capitulo. Præparatio melcæ extemporalis, & præstantior fiet hoc* Galenus Paulus Aegin. C. Dyo. Vticen. Paxam. Constãt. Cæs.

modo. Nimirum si in fictilia vasa noua acetum acre immiseris, posuerisq; ipsa in calidum cinerem, aut ad lentum ignem, idest ad prunas, & vbi paululum efferbuerit acetum, vt à vasis combibatur, vasa de prunis detraxeris. & in eadem vascula lac miseris, atq; ipsa in arculam, aut cistam, aut ubi immota maneat, deposueris. Sequenti enim die melcas multò longè præstantiores habebis, quàm sunt, quæ multa arte parantur. vascula tamen postquam semel, aut iterum ipsis vsus fueris, permutabis. nec amplius in hac re dubito cum Ioannes Gorræus Parisiensis in definitionibus dicat huiusmodi cibum Parisijs dici du laict caillè, *idest, lac coagulatum, species autem est* τὸ Οξυγαλακτης, *& in dictione* Οξυγαλα *colligat, id genus hodie Galli videntur Iunceam appellare.*

Ioannes Gorræus

BVR. *Quicquid tu etiam de melca dixeris Federici ex tot clarissimorum auctorum sententia, cum aphrogalactis memoriã feceris, hæsitaui cogitans quid nam id esset, certus quidem esse opus lactarium: opera autem talia sunt caseus præcipuè, buthyrum, colostrũ, seu caput lactis, melca, siue iuncata, et quam recoctã vocarunt recentiores, vt serum interim prætermittã: de qua Vuecherus sic loquitur in syntaxibus med. ex longa nanq; seri coctione crassescit, ac coagulatur, fitq; Recocta, buthyri, et casei partẽ habẽs, hãc Aphrogala credo, hãc Mart. intellexisse crediderim illo carmine,*

Iacob. Vuech.

Et Velabrensi massa recocta foco.

Mart.

FE. *Verisimile est sanè, quandoquidem aphrogala, vt dicebat Brasauola, & vox Græca sonat, est spuma*

Brasau.

spuma lactis, de qua loquens Gorræus dixit Ἀφρόγαλα *spuma lactis, siue lac spumosum, hoc est tantopere agitatum, vt totum in spumam uersum sit, remedium aduersus calidam ventriculi intẽperiem præstantissimum, & inter laudatos cibos à Romanis habitum.* Ioannes Gorræus
Vtcũq; autẽ ista fuerint, iũcata hæc mihi optimẽ sapit.

BAL. *At quid nam sapiet, nisi istud sapiat? cum inter cibos nullum propemodum sit laudabilius? laudatur sane genus illud edulij, quod sit nitidum, tenellum, dulce delectabile, odoratum, recens, minimè excrementosum, non spinosum, non osseum, non crustatũ, non corticatum, quod sit facilis comestionis, facilis digestionis, quod valde nutriat, & (quod uno verbo cõcludam) quod sit amicum naturæ: Lac autem recens buthyrosum, ac pingue à sero, à parte illa inquã aquea, coaguli medio segregatum, quàm pulchrum est visu, quàm tactu molle, quàm suaue gustatu, quàm esu iocundum, quàm gratum odoratu, quàm ab omnibus liberũ excrementis, quàm facilè cõcoquitur, quã optimè nutrit, q̃ naturæ gratum dignoscitur? vt illud ego oĩbus penè alijs edulijs iuremeritò crediderim anteponi.*

QV. *Apparet eius bonitas, nec minus apparet tua: quandoquidẽ iam euanuit huiusmodi dulciariũ, tuq; illius partem minimam insumpsisti: nanq; interim dum laudabas, iste tibi proximus verbis tuis omnibus indubiam fidem adhibens, quæ tibi in orbiculo pars remanserat, en surripuit.*

BAL. *Heu patior telis uulnera facta meis. fortasse in posterũ ero cautior, et mea fruar, nõ aliorũ insania.* Ouid.

GE. *Compater lepidißime, quam bellè Salernitano inhæres regimini, cum adhuc duntaxat salitis carnibus, aßatisque deuescamur: vbi sanè hoc distichum reperitur.*

Schola Salerni. *Sal refugat virus, sal insipidumq; saporat,*
Nam sapit esca malè, quæ datur absq; sale.

BAL. *Nunquid elixa priùs, an aßa cibaria sint comedenda non leuis est quæstio, sed hæc horam aliam postularet. Ego quidem Eubulum comica suauitate sic ludentem laudo.*

Eubulus *Pisces Homerus protulit quendam virum*
Edisse Achiuum, cæteris at omnibus
Assauit ille prouidè carnes bouis,
Lixare nullum fecit inter tot viros.

QV. *Quòd etiam elixatis carnibus vescerentur antiqui, ipse Homerus testis est, inquiēs, Lebes feruet:*

Homer. *Cum nidore suis teneri, pinguisq; volante.*
atq; bouis pes in Vlyßem iactus idem significat: neq; enim quispiam aßat bouis pedem, quod vero ad ordinem spectat, pleriq; omnes cōsueuerunt in prandio assata, in cæna autem elixa præmanducare: ad conuiuij porrò medium sumere iurulenta.

BVR. *De ordine in præsentia nihil moror, cum alioquin aßētiar Cornelio Celso dicenti, quòd res eadē magis alit iurulenta, quam assa, magis assa, quā frixa. Cæterū iā iā & elixa apponētur, & illud postea, quod cuiusq; palato gratum sapiet, liberè dißecetur: interea si cuipiam salsamenta labia nimis mordeant, illa aurantij mali succo temperet, ac aspergat: salsamenta*

Cornel. Celsus.

hæc

hæc fac macerentur pulchrè, dicebat Terentius. si aliqua sunt minus suauia, en sinapis, quod quidem gustetis memores Scholæ Salernitanæ de illo sic referentis. *Terent.*

Est modicum granum, siccum, calidumq; sinapis,
Dat lachrymas, purgatq; caput, tollitq; venenum. *Schola Salerni.*

GE. *Et ego sæpius expertus sum propterea sternutationes, ac lachrymas, vt exinde cùm me illis, & coryzæ obnoxium persentiscerem, cautiùs legerim, atq; obseruauerim carmina illa nõ longè distantia, scilicet.*

Balnea, vina, venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porri, cum cæpis, lens, fletus, faba, sinapis, *Eadem Schola*
Ignis, Sol, coitus, labor, ictus, acumina, puluis;
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

FE. *Cum & reficiat animos, & reparet varietas (vt dixit Quintilianus) & refectum, & reparatum animum habebit proculdubio nostrûm quilibet; neq; dum animum, sed & ventrem magis,*

Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi,
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax. *Mart.*

quocirca ego illos commanducabo: iamdudum etenim sum à Veneris militia exautoratus: Tibi uerò Quinti

Tota quidem ponatur anas: sed pectore tantum,
Et ceruice sapit, cætera redde coco.

Tu autem Burchelate lepidißime commensalis,

Ne violes teneras præduro dente columbas,
Tradita si Gnidiæ sit tibi cura Deæ.

arripias igitur gallinaceum pullum potiùs ex ijs, qui videntur intrito illi iurulento supernatare.

Ponitur Ausonijs auis hæc rarißima mensis:

Hanc in Lautorum mandere sæpe soles.

BVR. *O sapiens Federici, ut video, tibi facessunt negociũ Xenia Martialis; Eia, dicam ego cũ Solone,*

Solon. *Nunc Veneris mihi grata, & læti munera Bacchi,*
Musarumq; : viris dant ea lætitiam.

Quod sanè respectu operum, non autem instrumentorum cum Plutarcho sit dictum: quandoquidem Veneris opus non est concubitus, & corporum mistio: neq; vinum, & ebrietas Bacchi: neq; Musarum cithara, aut fistula: sed qui his conciliatur Amor, & desyderium; mutua consuetudo, & familiaritas: ac proinde morum institutio, atq; affectuum animi moderatio. Ego autem quid vobis afferam optimi viri? nisi à diribitore partitum uitulum, quem tenerrimum esse sentio: illum quippe à materno subtractum ubere iussi nudius tertius iugulari. accipite & carmen illud,

Plutar.

Schola Salerni. *Sunt nutritiuæ multum carnes vitulinæ.*
Quinetiam distichum illud Flauij Iacobi Eborensis neotherici in eius Catone minori.

Qui teneras nondum vitulus gustauerit herbas,
Phasiacas Italo iudice vincet aues.

Verumenimuerò nunquid nam vos Taruisini homines estis? nostratem adeo lautum, quin etiam popinonibus apprimè delicatum cibum, vitulorum scilicet intestina iam refrigescentia cur despicitis? sunt tenella, sunt pinguia, sunt calida, sunt pipere, & menta, amaracoq; intertrita.

AP. *Iurè nostratem cibum hunc nominasti, nedũ quia illo uescimur frequentiùs, verùm quoniam penes*

auctorem nullum de illo mentionem aliquam comperi registratam. Sed lætor nusquam gentium hoc eduliũ, vt Taruisij, adeo elegantiùs præparari.

BVR. *Quin & apud antiquos boum interanea coquebantur, testis est Athenæus in conuiuio Cotyis Thracum Regis, vbi hæc substruxit. Sed his multò, & honorificentiùs, & splendidiùs id quod fit à nostris filijs Herilibus: qua enim in re domus nostra deficit, aut quibus tandem bonis? non myrrhæ, Syriæue odores, aut quales sunt libani desunt, non species tenerarũ placentarum, panium, amylorum, poliporum, boum intestinorum, pinguedinis, lucanicarum, iuris, betharum, triorum, &c. & Sophilus in inscriptis concurrentibus, eodem adnotante authore ita meminit.* Athen. Sophil.

Gula coactus Læno mi interanea
Hæc sanguinolenta præparare præcipit.

Huiusmodi intestina & lactes ob candorem pinguedinis à Plinio, atq; ab alijs dicta sunt: vnde Persius, Plinius. Persius.

Emeris auriculas pulmone, & lactibus vnctis.

Sed quisnam vestrùm primus astantium ministrorũ à poculis liberat manus?

FE. *Cedò festiue puer. Ego præibo, seu prælibo, seu magis præbibo, uos sequimini: dulce ædepol uinũ est: an in hac telluris planitie dulcia etiã exprimis uina?*

BVR. *Non inquam, neq; istud solum, craßius quidem, ac unctuosius, tolerat, ut musta dulcia dulcia uina postmodum valeant conseruari: ast illud exoticum sanè est, ac peregrinum: misit id quippe ad me excellentißimus consanguineus meus Vitalius de Paradiso*

illo suo Montis Bellonij. CAL. *Optimum sanè est, & quod mereat illud Diphili Comici encomium.*

Diph.C.
O Bacche cunctis prouidis gratissime,
Quàm dulcis es Dyonise prudentissime,
Nam maximè facis viros, & sordidos
Hinc esse prudentes & idem mox facis
Contractus vt cilia alter asper rideat:
Audacis esse pectoris facis virũ Timidũ prius.

QV. *Fortasse de hoc vitis genimine vltra quam satis est possemus sumere, dum faucibus nimis indulgeremus, vt deinde subnectere non ab re foret illud, quod Agamemnon de ebrietate sic proferebat.*

Homer.
Tristibus vt parens sum læsus mentibus: ipsi
Vel nocuère Dei, vel vini copia dulcis.

Pindar. *Memini Pindarum laudasse vinum antiquum, quod in Lyricis non semel Quintus Horatius prædicauit.*

Quando repostum cæcubum ad festas dapes, &c.

Horat.
Quocunq; lectum nomine Maßicum
Seruas, moueri digna bono die, &c.

Plautus. *Et Plautus in Casina inquit, Qui utuntur uino ueteri sapientes puto. atq; ut ingenuè loquar, non uoluptati solùm, uerum etiam sanitati magis confert uinum antiquum, quod cibum magis digerit, &, cum sit tenue, facilè distrahitur, præstat robur corpori, sanguinem rubicundum facit, facile distribuitur, & somnos præ-* Ebulus. *bet non perturbatos: neque illud ab Ebulo dictum sine risu excipere ualeo, quippè se perabsurdum existimare uinũ uetus semper apud mulieres laudari, uirũ autem non antiquum, sed iuniorem: tu itaq; calami-*

strate

strate puer, pulchrè inclusiate, amicte splendidè, vt qui ad Byrrhenæ cænam Apuleio præbitam hilares asßistebant, culullum illum emicantem gemmis formatum, vino vetusto madidum libens offeras. Apul.

Gemmatum Scythicis vt luceat ignibus aurum,
Aspice quot digitos exuit iste calix. Mart.

Iste quidem mihi per totam mensam sufficeret, tam amplum, capaxq; est poculum; vt cum illo Nestoris, splendore, & capacitate, de quo ita Poeta cecinit, valeat comparari.

Poculum erat pulchrum, domo & id potauerat ipse, Homer.
Transfixum clauis aureis, ac illius aures
Quattuor, hinc geminæ complexæ liuiæ, at illas
Ex auro cirum pascuntur, funda duo sunt.
Nec facilè hoc quisquam poterat extollere mensa
Cum plenum foret, at Nestor nullo ipse labore
Tollebat senior.

GE. *Recordor Isaac in particularibus dietis de vino veteri, ò Quinti optime, rem aliter registrasse: nempe illud parùm nutrire, citòq; caput ascendere, & propter suæ punctionis acumen ipsam mentem sæpius infestare.* Isaac.

QV. *Non reluctor quidem, si ritè huius auctoris sententiam capiamus, quandoquidem eà dixit de uino ueteri illo, quod ad annum ascendit septimum, vel transcendit, quod sanè calidum est, & siccum in tertio gradu: easq; illud operationes efficere, si copiosum bibatur, atque illi aquæ minima portio admisceatur; vetus autem, quod præ manibus vinum pitissando*

absumendum habemus, mediocre reputo, et quod forsitan non exceßerit secundum annum.

Horat. BVR. Tale inquam est. Capaciores affer huc puer Sciphos, Et quod fluctem nauseam coërceat metire nobis cæcubum; Curam metumq; pallidæ mortis iuuat Dulci Lyæo soluere.

Iam meleagridem gallinam elixatam à distributore prius dißectam partior, sin autem cuipiam magis sapiat vitulina, aut capus capiat illico.

Mart. Si libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes, at nunc accipe cortis aues.

Colum. Passum conuictores en appositum ex Columellæ insti-
Mago tutione, quàm a Magone Carthaginensi percæperat,
Poen. elaboratum; Quin & ex Archestrati Gostronomia,
Archest. Rugosæ tibi maturè ponuntur oliuæ.

Diph. Et tametsi Diphilus Siphnicus oliuas aßerat parùm
Siph. nutrire, & capiti graues eße, nigrasq; etiam obeße stomacho, non propterea vobis sunt, vt obsonium, sed vt obsonij condimentum commordicandæ: nec vobis est ignorandũ his Romanos ab initio cœnæ ad finem vsq; vsos eße: hinc Martialis in Xenijs.

Mart. Hæc quæ picænis venit subducta trapetis,
Inchoat, atq; eadem finit oliua dapes.

Memores interea sitis nugæ, quã lubens ita cecinit Fl.

Horat. Nil intra est oleæ, nil extra est in nuce duri.

Castor. FE. Tu autem memor esto obseruationis Castoris
Duran. illius Durantis, vbi ait.

Stringit oliua recens condita, refrigerat, ægrè
Concoquitur, stomacho mitior apta minus.

Suo

Suo iã quisq; palato obtẽperet, mihi vtiq;, relictis defruto, atq; oleis, moretum hoc, quod Maronis Simulũ parauiße suspicor, admodum placet: alius sanè missus a Sibaritico illo ex oleo & garo, quo delectatus cumprimis fuit Heliogabalus. Certè quæcunq; in nobis repletio fiat, illa mehercule non erit panis, quam peßimã vocant: cuius dicti rationem reddit ex Auicenna Galeotus Martius in Doctrina premiscua: cũ tot obsoniorum, conditorumq; genera gulæ lubrica irritamẽta in hac mensa comperiantur: ut interim omnes fermè panem interserere obliuiscamur: sed heus tu pincerna ciathum porrigas semiplenum. Sum ego illius Regiminis studiosus, quod Arnaldus Villanouanus fæliciter est commentatus: dicebat enim. Virg. Auicen. Galeot. Mart. Arnald. de Villa.

Inter prandendum sit sæpe, parũmq; bibendum. Sch. Sal.

Propino autem hoc tibi, dulcißime Burchelate.

BVR. *Bene vertat, excipio, reddoq; libens: cedò puer Scyphum alterum, quem tibi propinare statuo, Quinti optime.*

QV. *Estò; iam respondeo. Sed non sic apud Germanos fieri solet, vnde & propinationẽ imaginor originem accæpiße: illi etenim quantum vini hauriunt, tantundem inuitato porrigunt potaturo, raròq; uno, codemq; vini poculo inuitant ad bibendum pariter, ac inuitanti respõdent, sed potationẽ reiterare cõsueuerũt.*

BAL. *Vnde propinatio originem duxerit equidẽ ignoro: nõ me attamen latet Athenæum Dipnosoph. lib. 2. decimum octauum caput ita exordiri. Cum propinatio circũ lata eßet a cõuiuij gubernatore subiunxit* Athen.

 Vlpianus,

Vlpianus, nunquid posita est apud aliquem propinatio sic dicta, quemadmodum & nos nunc vocamus? Tum verò omnibus percunctantibus. Ego inquit ipse dicam. Phylarchus Atheniensis, & Naucratites ubi mentionem faciunt de Zela Bithyniorum Rege, qui Gallorum Duces benignè admodum hospitio excæpit, deinde cum illis insidiaretur ipse interfectus est: sic dicit, si memoria teneo, Propinatio quædam, veluti consueuerat, ante cœnam circumferebatur, atq; hæc dicens Vlpianus propinationem in uase refrigeratorio poposcit, sibi ita placere dicens, quia promptè ea commemorasset. & iam dictus auctor lib. 4. in Carani Macedonis cœna ita retulit. cum potum Caranus rursus incæpisset, iussit pueros propinationem paruis poculis in orbem circumferre, bibimus igitur lætè, quasi remedium quoddam primæ eius meri potionis, cum sequentibus. Habet etiam de Lacedæmoniorum propinationibus lib. 10. hæc, quæ nunc refero. Nec mos erat propinationes bibere, quæ in Lacedæmoniorum symposijs ferebantur, neq; inuitare sese sic vicissim. quæ in Elegijs hoc pacto declarauit Critias,

Phylar. Athen. Naucr. · *Critias.*

Hoc studium Spartæ, mos hic seruatur in illa,
Ipse suum siccet vinifer vt calicem,
Vel potum donare vocato nomine cuiquam
Inq; manum dextram vasa tulisse vetant.
Porrigere a dextris potum, vel dicere nomen
Conuiuij cui quis præcupiat bibere, &c.

Alia nouem distichæ subsequentia vos legatis. & de potatione in circulum lib. 11. legitote.

AP.

AP. *Substruere & his possemus Socratem pulchro Critiæ illud veneni reliquum propinaße, quod notat Plato. Sed & Plautus inquit,* *Plato.*

Propino magnum poculum, ille bibit. *Plautus*

Vt prætermittam Terentij, Iuuenalis, Martialis, atq; aliorum de propinatione loca. Cæterùm Medicis in vsu positum est, vt scitis, vt sæpe dum præscribunt alicui pharmacum, propinare eleganter dicant, veluti Plinius ait. Quidam ad vuluæ dolorem radicem cum uino dulci propinant, radicem inquam asparagorum. Sed antiquam esse propinationem auctor est Plutarchus in conuiuio, vbi ait, apud antiquos moris fuiße propinare inuicem, certaq; mensura bibere per ordinem: vndè Homerus Iliadis 4. *Terent. Iuuen. Mart. Plinius. Plutar.*

Nanq; vbi se vino criniti forsan Achiui *Homer.*
Largius inuitant, plenus Scyphus est tibi semper.

Quod autem pertinet ad potandi modũ, nullam aliã crediderim seruari legem, præter vsum, atq; institutum: nisi leges dicamus illas, quas sibi sæpius bibaces compotatores præscribunt, vt quãdoq; a cyathis ad heminas, ab his ad phialas, ad sextarios, ad vrnas, ad congios, & uel ad ipsas amporas peruenirent.

At quidnam per Iouem nobis apponit in mazonomo architriclinus? videte domini missum hunc alium quàm mirandum, anser hic est, ut uideo, ò conuiuæ, uiuus itidem, atq; coctus.

BVR. *Vestrum quislibet abstrahat ipsius alitis aliquam partem, & adhuc clariùs ipsum & coctum, et uiuum eße subitò deprehendet.*

FE.

FE. *Ego uidere uideor ſuem illum ſemiaſſatum, & ſemielixum, ac auibus, tomaculis, pulpamentis, atque id genus alijs pluribus farcitum, nec iugulatum tamen, qui tantæ admirationis cauſa fuit comeſatoribus Athenæi, ut ij miris efferrent laudibus ſolertiam, artisq; peritiam coci illius. en dum anſerem lanio clangorem mittit.*

Athen.

GE. *Qua arte id factum fuerit aperias care Compater: nam memini & cocum illum ſiſcitantibus conuiuis detegiſſe, qua induſtria ſuem elixum ſimul, atq; aſſum reddiderit, illisque impleuerit non iugulatum: nempe, quòd percuſſit eum ſub humerum vulnere per exiguo, ſanguis exijt, appēdit, hinc abſtulit interanea, vino lauit, farcimina cum multo pipere elixauit, repoſuit, atq; obturauit, multumq; ius bene conditum per os infudit: ad hæc obtexit dimidium ſuis multà farina hordeacea, oleo, ac uino priùs irrigata, poſtea in furnū impoſuit ærea menſa ſuppoſita, lentoq; igne ita aſſauit, ut neq; combuſtum, neq; crudum tamen exciperet; cumq; pellis iam facta eſſet aridior, aliam partem iam elixam eſſe arbitratus, farinam deiecit, atque conuiuis appoſuit.*

BVR. *Dicam lubens, quæ mihi id factitans retulit locus noſter, ſcilicet, ſe a quodā Parthenopæo iſtud addidiciſſe: capiatis igitur cōficiendi normā ſit anas, vel anſer, vel aliud viuacius animal, ſed in hoc anſer omnibus anteſtat, capite, colloq; relicto, toto ſit implumis corpore: ſit hinc inde obuallatus igne, & circumſeptus, non arctè ne ſuffocetur fumo, neue igne torreatur*

Io. Bapt. Port.

reatur

reatur citiùs, non longè ne impunis euadat: intus passim pocilla, & ollulas aquæ plenas, cui salem, & mel adijcias, ibiq; lances elixatis malis sint plenæ, & tessellatim disco concisis, ipse totus liquamine obductus, & laridatus, vt esculentior sit, & faciliùs decoquatur; ignem admoue, festinare nolito: vbi calore efferuere cæperit circumambulando, & fugiendo præsepit ignis, & iter intercludit, sic improbus aquam absorbendo compescitur, cor, cæteraq; membra refrigerando, medicamenti vis laxat aluum, abstergit, & exinanitur, & vbi inferbuerit interiora decoquit, spongia continuè cerebrum, & cor humectando, vbi verò insania ferri, & cespitare conspexeris, deficit cordi humidum, remoue, conuiuis appone, euulsis semper partibus vociferantem, vt ferè priùs comeßatus, quàm mortuus videatur.

AP. *Res apprimè curiosa & spectabilis. Cæterũ quod vobis interea super mutatis orbibus libum impartiui, illud hilare accipiatis, gustetis, olet optimè: seniores autem, si qui sunt edentuli, lætiùs, & commodiùs deuorabunt.* *Cato.*

FE. *Bonum sanè, &, vt gustans persensi, plura ibi permista sunt, quàm doceat Cato de Re rustica, dũ parat caseum similagine, atq; ouo intertritum, seu quã ponat Athenæus, dum asserit: illata postea fuit placenta ex melle sesamo, & lacte, quam Romani libum nominant, quod quidem a Libero patre ita dictũ fuisse innuit Ouidius his verbis.* *Athen.* *Ouid.*

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille

Gaudet,

Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

CAL. *Vtcunq; sit, artolaganum hoc testuaceum vulgò a nostris mulieribus Tartara nominatur, quo spiritu quidem nescio; an modo ab immanibus Tartaris, an ab inferorum vasta voragine. quam Plato esse autumat receptaculũ, in quo omnia flumina confluãt, & rursus effluant; tanquã tartarus sit fons aquarum omnium: quod quidem Arist. à Præceptore dißidens refellit ut impoßibile: quòd si inibi huiusmodi pararentur edulia, non adeo contractis cilijs causidici susciperent uulgatum illud in illos carmen,*

Plato.

Aristot.

Omnes Causidici Tartara nigra petunt.

AP. *Ego, ò Calcia à quopiam Causidico amico meo aliũ huius carminis sensum audiui nempe quòd tartara nigra intelligantur liba illa nigricantia, seu ob charopum colorem fusca propter immistos fructus, propter aromata, qualia sæpe moniales nostræ munuscula cognatis, et nobis etiã solent aliquãdo demãdare.*

GE. *Et ego aliam expositionem huius uersus percæpi, scilicet, quòd carmen sit corruptum adeo, ut non nigra sed liba legẽdum sit, ac si quid sint tartara illud liba exponat, quòd scilicet sit placentæ genus lautißimum, quod utplurimum recipit lac, oua, caseum, panẽ tritum, mel, aut potiùs saccarum, astaphidem, aromata, buthyrum: tametsi centum huiusmodi mistionum genera, præsertim cum fructibus, fieri soleant.*

BVR. *Minimè miror vos ambos causidicorum causam suscipere defensandam, ut qui fratres habeatis Legum Doctores: modò antequam istud attingam*

vel

vel liguriturus, uel deuoraturus, ficuti guftum feriet, præbibam; atqui fcitule puer non fatis bellè mecum egifti cum aquam in poculo permifcueris.

BVR. *Refrigeratorij vafis, ut uideo, caufa fuit: dum etenim potum pofcenti præbiturus cyathum infundere feftinaret, aquæ portio in calicem eft illapfa; iam uerò non ab re effet, cogito, quandoq; inter bibendum vino aquæ modicum permifcere, id fiquidem ad penetrationem, cibiq; digeftionem conducere iugi experientia eft comprobatum, tum etiam ad uinum ipfum aliquantifper refrigerandum.*

Feruida quòd fubtile exfurdant uina palatum, Horat.
Vt Horatius innuebat: quapropter poffemus uti aqua ueluti durum Bacchi domitura faporem. Ex Vir.

BAL. *An ignoras quid alibi dixerit Flaccus tuus?*
Nulla placere diù, nec uiuere carmina poffunt, Horat.
Quæ fcribuntur aquæ potoribus. Et Durantes ait,
Vina bibant homines, animalia cætera fontes Caftor.
Abfit ab humano pectore potus aquæ. Duran.
Mihi fatis utiq; factum effet, nec aquam permifcere, nec refrigeratorium apparare, quinimo nec potum pofcere aliena induftria mihi fubminiftrandum, fed potius in menfa, uel propè mẽfam fiftere utriufq; laticis phialas, ut quifq; fuo arbitratu, cũ maluerit, pmifceret, neq; nunc memini apud ueteres id in more pofitũ effe.

CAL. *Imò magis, amice, recordor Athenæum in Laconicis conuiuijs de vafe refrigeratorio fic fcripfiffe. adiacebat fuper tripode vas aheneum aptum refrigerando, ramufq;, et fcaphium argenteum dua-* Athen.

F rum

rum cotylarũ capax, et cyathus: vas præterea ad infundendum; neq; potus cuipiam ferebatur, nisi priùs is poposcisset; atq; id postremum tuam postremam dubitationẽ soluit; præterea & inferiùs sic adscribebat, cum cœnassent, omnes simul tacebant: aderat & puer potum mistum habens, qui poscentibus afferebat. Eodẽ pacto & post cœnam, neq; plus duobus cyathis dabatur, quod annuenti afferebatur. & tametsi per potum mistum possem tuæ priori dubitationi cum veteribus respondisse, aqua mistum intelligens, subnectere id lubet clariùs ex Cretensibus conuiuijs allatum, vt alia plurima omittam loca, aliorumq; auctoritates, nempe, poculum in singulis mensis aquoso mistum ponitur, ex quo communiter omnes bibunt, qui communi mensa

Mart. *vtuntur. Dilutum vocabant sæpius vinum aqua temperatum, vnde Martialis,*

Cornel. Celsus. *Diluti bibis unciam Falerni.*

Sed & noster Celsus tibi satisfaciat, amice, cum præceperit Hyeme meraciùs esse bibendũ, æstate dilutiùs: mihi itaq; afferas puer elegãs scyphum uacuum, affundas quatuor temeti vncias, aquæ duas.

BAL. *Miror, cum hæc curiosè admodum recitaßes, ô Calcia, vt in ijs versatũ maximè te præmonstres, cur potiùs eas vini, ac aquæ consonantias non*

Plutar. *poposceris, quas 3. Symposiacorum Plutarchus retulit dicens. Qui Dionysij harmonias callebant, eos tres vini cum aqua consonantias aspexiße, sexquialteram scilicet, diapason, & diateßaron: quin & non potius uini mensuram nominaueris sextantem, deuncem, aut*

trientem,

trientem, quæ erant in frequenti vsu positæ apud antiquos mensuræ, vnde Martialis,

Sextantem poto, tu potas Cinna deuncem, Mart.
Et quereris quòd non Cinna bibamus idem.

Et Persius. Sed tremor inter uina subit, calidũq; trientẽ. Persius.
Et Proper. Cum fuerit multis exacta trientibus hora. Proper.
& alij multi.

QV. Adde, ò Balthassari, & quincuncem, & bessem, si lubet, cum Valerio lib. 11. vbi inuitat Caium Proculum sic præcinens.

Quincunces, & sex cyathos, bessemq; bibamus:
Caius vt fiat Iulius, & Proculus. Mart.

Veluti posses addere Plutarchum 1. Symposiacón de aquæ mistione hæc immiscuisse. Nõ enim uini quidem est aliùs alia ad aquam contemperatio, quam Pincernæ Regij habentes cognitam, aliàs plus, aliàs minus aquæ suffundunt; addas etiam, si lubet, uirum sapientẽ dixiße, quòd Prima cratera pertinet ad sitim, secunda ad hilaritatem, tertia ad uoluptatem, quarta ad insaniam: & quòd postremùm aliam numeri rationẽ supputat Martialis sic ad somnum scribens, Plutar.

Naeuia sex cyathis, septem Iustina bibatur, Mart.
Quinq; Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica falerno,
Et quia nulla venit, tu mihi somne veni.

BAL. Subnectam illud potius, cuius, puero quasi succensens, fermè prorsus oblitus fueram, me quidem non ignorare secundùm tempus diuersas vini mistiones fuisse, cum præter Medicorum præcepta, qui dilu-

tiùs æstate, meraciùs hyeme bibendum voluerunt, etiã veterum mores attestentur, de liberis, & ingenuis loquor, quoniam non me latet, neq; uestrûm aliquẽ præterire auguror, Catonem præcepisse, ut mancipia, & uniuersa ruris familia hyeme aquosiùs, & parciùs: vere, & æstate quando magis laborent, largiùs, ac meraciùs potarent: quomodo Hesiodi sententiam interpratandam puto, qui meracis potionibus per uiginti dies ante canis ortum, totidemq; postea uti suadet; præterea de refrigeratorio Hipparcus in Seruatis sic dicens memoriæ occurrit meæ.

Cato.

Hesiod.

Hippar.

Tum vas refrigerando idoneum mero
Cum cybio, atq; condyc...

FE. Quod ad huiusmodi vas refrigeratorium spectat psycteriam ab Euphorione, & Dinum à veteribus quibusdam dictum, sat esset legere decimumnonũ caput undecimi libri cœnarum Sapientum, ubi incipit. De vase refrigerando apto ita Plato meminit in conuiuio. Sed affer puer uas illud refrigerando aptum, ac uidentem illum plurium, quàm octo cotylarum capax primum ipsum plenum hausisse, Socrati postea infundere iussisse, ac producere, Archebulo præbente, puer maximè opportunè effundens uas uini refrigerando aptum subuertit. Alexis in Habitato, trium cotylarũ, inquit, uas refrigerandi, & quæ sequuntur, unde clarè etiam dignoscitur antiquos interdum posthabitis cyathis, paruisq; poculis de uase refrigeratorio compotasse. iam verò de uini mistione cum aqua, iuuat quædam referre ex decimo Athenæi, vbi & quam proportionem

Euphor.

Athen.

Plato.

Alexis

Athen.

nem sibi misceri maluit noster Calcia comperiemus: habetur itaq; , Hesiodus, ò socij , tres aquæ portiones, quartãq; uini infundere laudat, propterea et Anaxilas dixit in Nereo, etenim multò est suauiùs, non enim unquam bibi tres aquæ, unam uini solum. Temperantiùs etiam misceri iubet Alexis in Tethye. Hesiod. Anaxil. Alexis

Hic ecce uina sunt, igitur effundam ego
Melius, magis nam præstat unam & quatuor,
Refers aquosum, sed bibens hanc quid refer.
Agamus & aliquam moram inter pocula.

Porrò subsequitur, Diocles in Apibus, quo pacto mistum vinum bibere opus est? cum quatuor duas: quæ mistio cum eßet præter consuetudinem, illud fortasse vulgatum Prouerbium excitauit, vel quinq; bibere, uel tres, aut non quatuor, & quæ sequuntur. Diocles

QV. *Vri uideo, declinante iam prandio suboriuntur sermones ac percrebescunt: sed posteaquam omnes iamdudum nos ab esu carnium abstinemus, nec usquã aliquis extendit manum, illas, dicerem, ò pueri, ut auferatis. illud utiq; bene noui, & quidem sæpiùs expertus sum, quòd Quãto plura præter neceßaria apponuntur, tantò citiùs ciborum incidit satietas, quare eo ipso edendi tempore is, cui multa apponuntur, minus ijs habet, qui mediocriter viuunt.*

BVR. *Ego certè dicerem cum Simonide, quòd Eo ipso temporis spatio, quo animus cupit, multò magis hilætantur, quibus lautißimi apparatus apponuntur, quã illi, quibus frugalißimi: utcunq; autem istud fuerit, aufer architricline: uosq; pueri, sicuti fuistis promi, ita* Simoni.

estote

Plautus. estote condi, & procuratores peni, ut innuebat Plautus. sed utquid, optime Federici, offæ panis merum affundis? an te aliquæ id docuerunt Scholæ? an tibi, ut pluribus alijs, eiusmodi inoleuit cõsuetudo? utiq; in more positum est, ut deficientibus cupedijs, ac ferculis delicatis fiat huiusmodi panis, & uini mistio, quæ quomodo latinè sit nouinanda equidẽ ignoro, nullam etenim de ea apud scriptores recordor memoriã cœperisse.

FE. Vtique Schola aliqua me hanc mistionẽ edocuit, præter frequentem usum atque ab ea commodum prodiens non aspernendum: quapropter scias mistionẽ hanc uipam dici, eo quòd, ut reor, uini, panisq; confusio sit, ac miscella: de hâc igitur Schola Salernitana hoc distichum scriptitauit.

Sch. Sal. Bis duo uipa facit, mundat dentes, dat acutum
Visum, quod minus est implet, minuit quod abũdat

Arnal. Nempe, quemadmodum subnotabat Arnaldus, mundat dentes, quia propter panem diutiùs dentibus inhærentem, quàm uinum solum sine pane, limositas illa dentibus adhærens, à qua dentes luridi dicuntur, à uino meliùs consumitur, & abstergitur: deinde acuit uisum, quia prohibet malos fumos ad cerebrum ascendere, qui offuscarent spiritus uisiuos per eorum immistionem, atque istud facit ex eo, quia digerit materias malas in stomacho existentes: adhæc uipa minus digestum facit digeri, quia facit clausionem orificij stomachi, & confortat digestionem, atq; id operatur postremò, quòd superfluè digestum ad medium reducit: atq; istud totum maximè uerificatur de uipa, dummodo

modo

modo panis præassus sit, aut supra prunas exsiccatus; & Plutarchus 8. Sympos. scribit: ij, qui uitæ rationẽ, qua Prisci usi sunt, memoriæ prodiderunt, docent illos, cum & laboribus dediti, & temperantes essent, mane panem edisse mero intinctum, aliud nihil. Plutarc.

BVR. *Non inutile sanè, ò amicorũ optime, istud futurum censeo, quandoquidem & nos interdum utemur vipa, modo non vappa: & tametsi id uocabulũ apud antiquiores non reperiatur, ut credo, nihilominus nunc arguerem de uipa intellexisse Athenæum 3. cænarum Sapientum, ubi ait, de pane clibanita mentionem facere his verbis Antidorum in Protagora. Sumentem calidos clibanitas, qui enim non, hos conuoluentem in uino passo tingere; & inferiùs, optimum clibanitam appellatum, qui & iucundis rebus, et mollitie ita est mistus, vt multam habeat ob delicias ad passum vinum coactus proportionem, ita uerò mirum in modum confert, vt quasi ebrios resipiscere faciat, atq; eodem pacto efficitur, vt rursus is esuriat, qui satis antea comederat. Verumenimuerò ecce uobis iamdudum adstat puer cum gutturnio, & peluis aurichalcea cum sapone odoro in mensæ medio, iam de vestrũ manibus latices effluxuros expectat, quas nitida subinde mappa apposita protinus exsiccabit.* Athen. Antido.

AP. *Nunquid institutum hoc sit medicum scire cupio, nempe post prandium lauare manus: quandoquidem si ad mores respicimus, decet vtique minime præunctis manibus à mensa ad forensia, seu quæquæ fuerint negotia, proficisci: sed medicè loquẽdo dixerim*

id

id minus conuenire: quandoquidem post pastum ferè semper aliquo leui frigore inuadimur, vt sæpiùs horrescamus, atq; inde euenit, ut multoties ciborum digestio interturbetur: propterea Atri Regulum crediderim post prandium, siue cœnam minimè abluere manus consueuisse.

BAL. *Imò id magis medicè suspicor conuenire, nanq; si eò faciliùs cibaria conficit stomachus, quò calidior, unde Hippocrates dixit. Ventres hyeme natura calidißimi, quo fit, vt copiosiore indigeant alimento, cum per ablutionem manuum ad interiora quasi reprimatur calor, eo aucto concoctionem absolui faciliùs certum est. Sed de huiusmodi instituto audias Salerni Scholam.*

Hippoc.

Lotio post mensam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.

Sch. Sal.

Et vulgatum est Prouerbiũ, Rarò pedes abluito, sæpe manus, caput nunquam; quapropter ne illotis manibus (quod aiunt) videar permansiße, nedum aquã, sed & odorosam pilam, & linteolum ego nunc refricatis manibus pertractabo. Modò dentifricia rosaceo liquore infusa dentes, si quid hæserit, expurgantes leuiter corrodamus; hæc et dentiscalpia dicta sunt, vnde Natalis Comitum libro de Horis sic habet,

Prudentes serui mox dentiscalpia ponunt.

Nat. Co.

BVR. *Hæ sunt secundæ mensæ, hæc sunt bellaria, optimi viri, quæ ingerit noster architriclinus: de quibus Virgilius. Et mensæ grata secundæ*
Dona ferunt, cumulantq; oneratis lancibus aras.

Virg.

Hæc

Hæc & tragemata, et pemmata dicta sunt: & Natalis ille tuus fidus Athenæi interpres conuiuij appendicem uocauit, cum dixit, Natal. Com.

Conuiui appendix bellaria multa feruntur.

De his autem Elluchassem Elimithar Canone 31. ad Tacuinum 30. medicè summa cũ ratione pertractat: cui cordi est legere, satis habeat & auctorem illi, & voluminis ordinem esse monstratum. Sed anteaquam ad illa declinemus, si vobis lubet, cyathum quilibet vino plenum præ manibus habeat, & mecum lætum Poeana Dionysio præcinentes, sicuti ego dixero, ac fecero, dicatis vos itidem, ac faciatis. Elluch. Elimit. Tacuin.

FE. *Annuimus omnes: & sanè cum Flacco dicam in præsentia.*

Nigrorumq; memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consilijs breuem,
Dulce est desipere in loco. Horat.

Eò maxime, quòd ab eodem narratur & Prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus. Et Xenophon in conuiuio saltantẽ Socratẽ recensuit, saltationisq; studiosũ. Xenoph.

En sacer impleuit dextram Scyphus: ociùs omnes
In mensam læti libent, Diuumq; precentur. Virg.

Iuxta illud Andini vatis.

CAL. *Itaq;, comptule puer, qui stas ad phialas, cedò illam pateram expumantem.*

Dixit idem Virgilius. Ille impinger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

QV. *Quamuis dixerit Plautus, Vinum esse luctatorem dolosum, pedes captare primùm, nihilominus* Plautus

qui es à cyathis cyathum mihi porrigas temulentum. dicebat Iuuenalis.

Iuuen. *Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.*

BAL. *Mihi autem pocillator culullum ministra, si potest fieri, sexquiplenum. Habet Horatius.*

Horat. *Reges dicuntur multis vrgere culullis,*
Et torquere mero, quem perspexisse laborant.

GE. *Si crater tuus esset oxibaphi Græcorũ instar, quamuis semel plenus, esset forsitan sexquiplenus, cũ oxibaphus apud Romanos sexquicyathum contineat, vt præter alios notat Gorræus. Ego verò, postquam est cyathissandum, poculisq; indulgendum, poculum hoc arripiam iam impletum,*

Io.Gorr.

Tum pocula fessis
Lemnius exporgens largè Deus ipse ministrat.

Augur. *Dixerat noster Io. Aurelius Augurellus.*

AP. *Et ego cũ Horatio fæcundũ hũc calicẽ sumã.*
Fæcundi calices quem non fecère disertum?
Horat. *Contracta quem non in paupertate solutum?*
Certè isti pueri Inuertunt aliphanis vinaria tota.

BVR. *Mihi verò festiue puer, pincerna elegãs, Carchesium porrige: nec duo timerem hodie, præsertim dicente Marone.*

Virg. *Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho.*

Estò bene. Ordiar igitur, altiùs capides porrigite cõpotores, obtemperate: Cantate mecũ Pegaseiũ melos. *Persius.* *Et quoties ego labra amphiteto huic bibens admouero, toties & vos, læti conuiuæ, labra simul poterijs vestris vinum haurientes admouetote.*

Iam

Jam Solis Orto sydere Statim oportet bibere
Bibamus nunc egregiè Et rebibamus sobriè,
Vt in solemni requie Possimus esse hodie.
Bibe ergo care frater: Bibe bis, ter, & quater,
Bibe semel, & secundò, Donec nihil sit in fundo.
DONEC NIHIL SIT IN FVNDO.

CAL. Tametsi nec regna vini talorum iactu sortitus fueris: nec te Venus arbitrum bibendi dixerit: ædepol archiposiam, ò Burchelate, tu optimè es exequutus. O quàm læta, quam ridicula hæc compotatio: Ego vtiq; tot iteratis haustibus à risu haudquaquam abstinens me parumper in pectus prolui. Ex Hor.

QV. Vah. Ecquis à cachinnis se valeat abstinere præcinendo aspectando, audiendo, pitissando, sorbillãdo, deglutiendo, penitus absorbendo, ad sexdecim uini haustus uariè replicando simul, vnà, pariter?

CAL. Heus Federici ibi sunt apposita pyra cruda perinde, atq; cocta quibus adiunctus est caseus, & volemata pariter grauiora,

Crustumijs, Syrijsq; Pyris, grauibusq; volemis. Virg.
Dicebat Georgicus Maro. quid sentis de his.

FE. Illud sanè, quod Anglorum Regi scripsit Schola tota Salerni.

Si coquis antidotum pyra sunt, sed cruda uenenum, Sch. Sal.
Cruda grauãt stomachũ, releuãt pyra cocta grauatũ,
Post pyra da potum, post pomum vade cacatum.

CAL. Vtiq; nimis medicè: Castor Durantes de pomis sermonem habens, satis clariùs, atq; elegantiùs est allocutus dicens,

Castor. Duran. *His caueas, mala sunt, dirasq; mouentia febres,*
Forma placet nitidi corticis, esca nocet.

Ego pro maximis pyris, dum tempus ferret, minimis, & crudis contentus essem, quæ dicimus Muscatella Muscaria dicit Raffael Volaterranus à Romanis superba appellata, ut Plinius, & Nicolaus Erithræus in indice illo Virgiliano adnotabat.

Raffael Volate. Plinius. Nicol. Erithr.

FE. *Sed & alibi eadem Schola hæc cum quibusdam alijs melancoliam facere referebat, scilicet,*

Sch. Sal. *Persica, poma, pyra, lac, caseus, & caro salsa.*

Porrò alibi eadem de caseo sic uberius præcinebat.

Caseus est frigens, stipans, grossus, quoq; durus,
Caseus, & panis, bonus est cibus hic bene sanis,
Si non sunt sani, tunc hunc non iungito pani.

sed illud uulgatũ adhuc magis memoria est cõmẽdãdũ
Caseus est sanus, quem dat auara manus.

QV. *Porrò neq; dum his modis antiqui pyris in conuiuijs usi sunt, sed & in aqua demersis, quemadmodum testatur Alexis in Breutia. Attamen utcunq; illi, Ego sum illius dicterij studiosus, Sine vino sunt pyra virus. Cedò merum venuste puer.*

Alexis

CAL. *Etenim ego isthæc vobis relinquens, pistacia dentibus experiar aperire: audiui nanq; Castorẽ illum versificatorem de his dicentem,*

Castor. Duran.

Igne nuces superat, renes iuuat, & iecur humens
Pistachium: hæc stomachi cana senilis amat.

Hæc & psittacia, & bistacia ab antiquis dicta fuisse inuenio. Nicander Colophonius siquidem in Theriacis, eorum mentionem faciens, inquit, Psittacia assimiles

Nicand. Coloph.

miles truncos onerare videbis Prorsus amygdalinis. Scribitur autem & astacia; cum amygdalæ esse videantur. Porrò Posidonius Stoicus ita inquit libro Historiarum 3. ipsum fert Persium Arabia, & Syria, ac bistacium vocatum, qui fructus racematus est, albo cortice, ac longus, lachrymisq; simillimus, atque vuarum consuetudine vicißim cohæret, quæ interius sunt uirent, minusq; bonum habēt succum, quàm nux pinea, at melioris sunt odoris. Poßid. Stoic.

GE. *Fistici dicuntur pistacia ab auctore libri de dißolutione continua Galeno ascripti: vbi eos esse cibū dulcem, sapidum, subtilem, atq; abstergentem declarat: sicuti alibi quòd fistici confortent hepar, & eius oppillationem aperiant: quā fisticorum nomenclaturā, ut nostis, plurimi recentiores medici sunt prosecuti.* Galenus

AP. *In veris Galeni libris nunquam mihi occurrit hæc dictio Fisticorum, benè tamen pistaciorum, ueluti lib. de Simpl. med. fac. ubi ea iecoris obstructiones aßerit liberare, neq; non thoracis, & pulmonis, pariter lib. de alim. fac. & alijs in locis paßim.* Galenus

BAL. *De lana caprina vtiq; est hæc disputatio, cum sanè poßint hæc uocabula simul accōmodari dicēdo phistacia, quemadmodū fecit Nicander; Cæterùm ego experiar nunquid auellanæ sint in frangendo pistacijs duriores. & certè conqueror tecum, Præbitor noster, qui potiùs aperta hæc, aut à corticibus prorsus exempta in mensam reponi non procuraueris, neque etenim est satis decens, nec nobis commodum ea dentium ministerio à putaminibus liberare.* Nicand.

BVR.

BVR. *Quinimò & decens, & commodum operis precium me fecisse autumo hæc integra apposuisse, cum dentes alioqui ab esu carnium molles redditi, ac ueluti stupefacti, huiusmodi fractione, sicut & frictione ualeant expergisci, & corroborari. præterea ritum antiquorum sum imitatus: qui nedum pistacia, nuces, atq; auellanas, sed & amygdalas, & si quæ sunt duriori cortice conglobata, dentibus frangere consueuerunt: hinc dixit Phynicus, dentes molares omnes rupi, ita ut nec naxiam quidem amygdalam frangere possim.*

Phyn.

QV. *Mihi videretur esse magis quæstione dignũ, nunquid auellanæ nuces fuissent apud antiquos huiusmodi, quales sunt nostræ: mihi autem dubitandi occasionem præbent ea, quæ 2. Dipnosophistarum ingurgitat Athenæus: præter alia etenim inquit. Nuces auellanæ, quæ etiam iuglãdes dicuntur, nutriunt quidem, at non velut amygdalæ. &c. subinde, latæ reliquis sunt minus ventosæ, minus nocent coctæ, quam crudæ, & irrigatæ, quàm crudæ non rigatæ. deinde latior auellana, & quæ sardiaca nnncupatur, difficillimè oẽs crudæ digeruntur. at quisnam unquam nouit, didicitúe coquere has auellanas? sed, quod adhuc magis me animo pẽdere cogit, illud est, quod inferiùs habet, nẽpe. Mnasitheus Atheniensis in libro de cibis Euboicis, nucum, & castanearũ, (vtroq; enim modo dicuntur) difficilem ventri scribit esse digestionem, concoctionẽ uentosam, ualetudinem tamen corroborant, si quis eas superarit, cum sequentibus. vbi Diphilum castaneas sardiacas glandes nominare, & Euboicos castaneam*

Athen.

Mnasit.

Diph.

nucem

nucem vocare subscribit: quocirca antiquos per auellanas castaneas, vel quid simile crediderim accæpisse.

BVR. *Vir diligentißime, te vsqueadeo Athenæi studiosum experior, vt illa te relaturum addubitem, quæ non longe à mox recitatis subnotat ille, videlicet, Simiæ profectò miseræ ista sunt bellaria: quocirca ecce apponuntur amygdalæ, pineiq;, ac coriandri semina, adeo cum saccaro ex arte confecta, vt ob excellentiam quãdam vulgò Confectum id genus bellariorum dicatur. Panem Marsicum, phisticata, pineataq; isthuc afferri non procuraui, quemadmodum & tot alia in primis, in medijs, atq; in postremis mensis fercula lautiora: cum loci huius rationem me habuisse velim vt cognoscatis: quod si egißem, nullum inter vrbana conuiuia, Nuptialia, seu Bacchanalia, & Rusticana huiusmodi frugalia prandia discrimen uiderer constituisse; propterea arculata varia, buccellasq; piperatas cum uino Cretico, siue alterius regionis fumoso, apponere non curaui. Perdices, attagenas, coturnices, starnas, porphyriones: veluti lepores, ac cuniculos testuaceos, seu clibanitas, cum tot alijs cupedijs prætermisi: linquendo pariter furentis Plauis, placidiq; Silis nostrorum fluminum selectos pisces, barbatos mullos, troctas cauernipetas, murenas lambentes petras, carniuoros lucios, ac reliquos non vulgares, quinetiam maritimos pisces in alto degentes, atq; illos obductos molli cute, siue crusta, siue testa, & siliceo tegumento: relinquendo itidem illa cibaria, intinctus illos, illa embammata, quæ hyspana lingua magis pro-* Athen.

prie

prie appellitantur, e.g. potajes, ollas podridas, manjar blanco, capirotadas, empanadillas, oxaldres, buñelos, rosquillas de Monjas, salsa real, imperial, blanca, amarilla, morada, encarnada: en caçuela, en pasteles, en al midoti, en estufada: quid scio? legatis in Maximi Troiani Aulici illustris, quondam amici nostri, atque etiam conuiuæ, dum Taruisij Musicus primarius moraretur: Dialogis illis Nuptiarum summi Ducis Bauariæ, vtraq; lingua conscriptis, & publicatis Itala scilicet, ac Hyspana.

Maxi. Troia.

FE. An fortè non comedimus in Apolline? sed Indulgere gulæ noli, dicebat Cato. missa isthæc faciamus etiam in ciuitate: non etenim illa naturæ hominibus studiosis, paucis, minimisq; contentæ, philosophis conuenirent. Cæterùm ne videaris, instar sepiæ atramentum corã piscatoribus effundentis, Quintiano dubio obliuionis nebulam protendisse: illud prorsus insolutum non iudico relinquendum. quapropter, vt uobis, versati viri, id laboris surripiam, præter id quod in Tacuino 30. est registratũ, vbi auellanæ nucellæ (quemadmodum vulgò dicitur) nominantur, audiatis quid lib. de alimentorum fac. Galenus dixerit de auellanis. Quidam nuces regias appellant eas, quæ nunc nuces ab omnibus nominantur: sunt et aliæ quædam, quæ leptocaria appellantur prædictis multo minores, quas nonnulli ponticas, seu auellanas uocitãt, multus autem ambarum est vsus: alimentum corpori præbent exiguum, copiosiùs tamen pontica nuncupata, & reliqua, cum ijs, quæ 7. Simplicium dixerit, veluti & lib.

Cato.

Tacuin.

Galenus

Galenus

& lib.de dissolutione continua habetur, nuces uelocioris sunt digestionis, quam auellanæ: quare huiusmodi Galeni nuces cum nostris conuenire vtiq; palam est: cum autem nomina nucis, iuglandis, auellanæ, & castaneæ confundant antiqui, quem fructum propriè per auellanas intellexerint certè non video, tametsi vertentis errorem in his dictionibus nō modicum esse suspicer: cum alioqui Grapaldus in Cænaculo nuces esse referat plurium generum, iuglandem, s. basilicã, ponticam, auellanam, prænestinam, thaßiam, amygdalã, pineam, heracleoticam, atq; etiam pistaceum, ut adnotauit Volaterranus; Ita nucem Indicam, regiam, myristicam, nucem metellam, nucem vomicã refert Brasauolus in Examine Simpliciũ, ita Ruelius, Matthæolus, Durantes, Pisanellus, & alij: cum quibus & Pandectarum opus: quod mihi maximè arridet, dum nuces nostras, quas edimus, vsuales appellat. Galenus Fr. Ma. Grap. Raffael Volate. Brasau. Ruell. Matth. Duran. B. Pisa. Pandec.

CAL. *Ecquid vulgato illi Prouerbio forsan uolumus aßentiri credẽtes, dum ad mẽsam sedemus, haud quaquã senescere? Eia, postquã ventri, atq; auribus nunc abundè factum est satis, talibus obtruncatis sermonibus assurgamus, & per hoc viridarium mirmicinis quidem gradibus aliquantulum spaciemur, scriptum est enim,*  *Nec sit tibi vanum* Sch. Sal.

Surgere post epulas; somnum fuge meridianum.

AP. *Habitis itaq; Deo debitis gratijs recedamus.*

BVR. *Igitur, conuiuæ gratißimi, quilibet in præsentia proprio indulgens Genio ferietur.*

Iam prosint omnibus omnia.

Finis Prandij.

OBAMBVLATIO ANIMI CAVSA.

FE. *Ego ſanè amici optimi, diutiùs pro foribus in ſcamno commorans iuxta puteum prætereuntes non paucos ſalutatus ſaluere iuſsi, vicinum interim affatus fabrum ferrarium, qui mihi ingentia, eaq; innumera Burchelati noſtri commoda hic in proximo referebat: dicebat etenim primò cõmodum grande herboſi campi huius ampliſsimi, huius planitiei, quam cãpaneam vocitamus, vt perpetim eius agricolarũ bruta animalia paſtum capiant opportunum: quà inquã non ſecus, atq; per Terraleum vocatum extra Altinatem portam, conſpiciuntur continuè viatores, equites, pedites, carpenta, currus ſusq; deq; meantes, ac curſitantes: uiamq; tritam illam non eſſe adeo diſtantem ab iſtis foribus, vt non internoſcantur prætereuntes, neq; adeo propinquam, vt puluis lædat oculos, aut æſophagum: iſthac inſuper proceres ſæpius, Legati, Heroes, Duces, tum Marchiones, Principes, ac etiam Reges viſos eſſe iter agentes, Reginas, & Imperatrices, nedum præteritis, ſed & noſtris ſæculis, & temporibus, ſicut ſcitis: quemadmodũ & inſtructas acies, recenſus, ac belli ſpecies in hac inquam planitie inter vrbi proximas omnibus alijs ampliore. præterea ſi amico noſtro, ſiue illius inquilinis faceſsit negocium currus, equos, aut ruris inſtrumenta ferri generibus uarijs coaptandi, quòd ille proximus continuò huiuſmodi illis præſtat operam referebat. adhæc, ſi eis pinſendum*

eſt

est triticum, aut quæcunq; seges, en ibis ait, aqua præteriens, sedulus molitor, cum duplici molendino; si caro bubula illi queritur, aut uitulina, istic ad hospitium est semper lanius, qui cum itidem sit & caupo, et macellarius, adeo finitimis est manus dextera, vt si insperatò nouus aliquis Burchelato nostro superueniat hospes, illico de proximo diuersorio fercula, et missos habeat multi generis coctos, conditos, ac præsentaneos: vbi etiam introrsum visitur Templum Charitatis D. Magdalenæ nomini nuncupatum.

CAL. Papè, quantum bonorum: Balthassarius, atq; ego simul, dum quiescebas, per callem istum circa agri huius septum densißimum instar ualli irrepsimus pedetentim usq; ad pratum uocatum Monachum, solum scilicet in communi, vbi bubulcum obseruantem pascentes boues inuenimus oscitantem, quem de vicinia percontatis retulit prato huic fluuium uocatū Plauiculam præterlabi, vltra quam indidit nobis locum spectabilem foßis, dumetisq; circumseptum, dixitque locus ille sex opima iugera continens circumclusa, vt propterea Cincta vocetur, est hero nostro Burchelato gratißimus præter alios, cum illi inibi præsto sit.

Et pecori opportuna seges, & commoda Baccho, *Virg.*
Et vlterius pyra istic quotannis, malaque plurima colligantur.

QV. Ego autem cum Aproyno per pomariū proximū, tū iuxta muros circum latifundia per tramites repedantes inter luscinia, aliarumque auium murmura percrebras vineas, lætiores segetes, grandemq;

prædiȷ́ huius lignorum copiam fuimus cōſpicati, ut ob id valde tibi gratulemur, ò Burchelate. Cæterùm unius maxime fuimus admirati, quòd cum tibi extet amplum, vt vidimus, periſtercon, columbæ circa id nullæ appareant volitantes, minusq; ad forulos per curricula, vt aſſolent curſitantes: ſed tantum modo pipilātes paſſeres de nucis illis proximis altioribus ad il lud iuxta, atq; ab illo ad eas inuicē uolitāt pfrequētes.

Ouid. *Peßimus at paſſer triſtia flendo pipit,*

Dixit Ouidius ad philomelam: non poſſumus autem ita ferre cum Martiali,

Mart. *Sonantq; turres plauſibus columbarum,*

Gemit hinc palumbus, inde cæreus turtur.

BVR. *O ſociȷ́ gratißimi, ſi huc ante aliquot menſes acceßiſſetis, vidiſſetis vtiq; vltra triginta paria circumuolitantium palumborum: at muſtellæ callidæ, vafriq; martes aliqui feralesq; bubones noctiuagi periſterotrophium hoc ingreßi, illud adeo deuaſtarunt, vt propter occiſos, diſcerptos, exenteratosq; pipiones, ac aſportatos, parentes ſuperſtites ſaluti propriæ conſulentes ipſum aliò migrantes relinquerent deſolatum, ſolisq; paſſerculis in loculamentis illis nidificantibus columbarium huiuſmodi conſignarent. Veruntamen ſicuti viſum fuit, ita & prouiſum fore non dubitabo: quandoquidem iamiam ad angulos extrinſecos, qua feræ iſtæ veloces obrepunt bractea quædam lubrica, ne ſiſtere pedes valeant, affigentur: veluti & feneſtella parata eſt mobilis adeo, vt attracto fune ſub noctis crepuſculo feneſtra, & foruli claudantur ad bubones*

arcendos,

arcendos, ac noctuas: quo deinde remisso matutinali tempore aperiantur; interea mihi aluntur domi xxv. paria columbarum liuiarum pariter, ac cellarium statim istic reponenda: sicq; (ni fallor) me ab huiusmodi maledictis incommodis liberatum iri sperabo.

GE. *Ego quippe cum Præbitore nostro digredi nescius extra muros, secum spacians cellas vinarias ingreßi sumus, quarum prior in fundi facie continet labra quinq; vinaria adeo magna, vt centum viginti liquidorum congij uix implerent: eaq; sub singulis fenestellis ita dispoſita, ut deductæ cum plaustris vuæ per illas in huiusmodi capaciora uasa nullo negocio rastellis, urnisq; ualeant detrullari: porrò hinc inde singulæ sunt cellæ uinariæ ubi existunt dolia, quarum altera est ipsius domini, altera autem uillicorum, ita, ut illa heri mansionibus respondeat illico, hæc pariter colonorum, ut quilibet proprio, cum maluerit, ualeat obdere pessulum ostio. & certè illud obseruaui forsitan quæstione dignum, mansiones agricolarum in terrena parte magni domicilij ipsius domini positas esse, quod, cum quibusdam displiceat, mihi autem placet summopere: cum sit hæc quædam tutellæ species, imò furũ exploratio, ac propugnaculũ totius domus: atq; in ictu oculi præstò sint rustici ad vnicam heri vocem, illicò satagentes: præsertim quando est cœlum, aut ventus, aut frigus pluuium: nec propterea familiæ, vt putant aliqui, & supellectilia, cum sint schalæ intermediæ, & tabulata, indecenter admisceantur. iterum postmodum reuersi sumus infra hoc cauædium muris circumquaq;*

cumquaq; uallatum: ubi tria hæc hostia munita ferris, ac pessulis conspicabam ita disposita, ut prius in viam ducat, quod autem è regione huius est positum, in uiridarium, medium verò latius per prædium inferius præbeat aditũ. adhæc admirabar tria hæc nubilaria, quorum maius pauimẽto conspicuum pro messibus inseruit areæ, alterum sarraca, basternas, vehicula, tot quinetiam instrumenta ruralia in tecto continet: illud uerò ante fores, uti ad esseda, currusq; tectos detinẽdos
Isaias. *per opportunum ita, ut Isaiæ uerbis utar, in umbraculũ diei ab æstu, & in securitatem, et absconsionem à turbine, & à pluuia: & præterea tria maiora stabula, bouile, s. vnum, atq; alterum, equile tertium: tria itidẽ & minora, hara uidelicet una, atq; altera, tertium est pullarium, omnia non paleis, sed tegulis cooperta, summaq; disposita ratione, ut & sterquilinium ex præce-*
Pallad. *pto Palladij propter fœtoris horrenda à prætorij conuertatur aspectu. Verumenimuerò parum hæc omnia si animum amici nostri spectemus: quandoquidem ascendimus in chartophilacium, seu scrinium, seu, vt uulgò dicitur, studeolum, quod est commodum adeo, distans ab omni strepitu, riteq; dispositũ, ut in urbe probè sufficeret, atq; adeo refertum libris, ut admodũ mirer Burchelatum nostrum paulò pauciores libros hic retinere, quàm in ciuitate, & illum duplices fermè auctores omnes, præsertim classicos, conijciam possidere.*

BVR. *Ohe Compater dulcis diligens horũ omniũ non minus relator, quàm explorator, iam satis sunto. Cæterùm amabò uos, schalas unà iterũ cõscendamus.*

CON-

CONGRESSIO ALTERA.

FE. *Posteaquam omnes tandem, veluti receptui cantum esset, in atrium istud spaciosum conuenimus, aulam diceret Athenæus, siue eius interpres, ubi Phæbæis radijs relegatis, commodè quippè frigus opacum, auramq; undecunq; illa per fenestras, atque per fores ueniat, capiamus: in hac præsertim parte aquilonari è regione montium, iuxta latiorem huiusmodi fenestrã clatratam, unde longinqua cernimus loca: Montellũ sanè quercubus obsitum a sinistris cum Abbatia Neruistana: ad medium Sancti Saluatoris Oppidum Illustrissimorum Collaltinorum Comitum sedes regias: à dextris uerò Coneglani summitates editiores: per quẽ sanè aditum quantumuis ardentes, nunquã Solis radij transmittuntur, unde iure optimo dixit Lucanus de Arabibus uenientibus Romã in auxiliũ Pompeio.* Athen.

Ignotum uobis Arabes uenistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

Siquidem in eorum regionibus quãdoq; erant illis umbræ dexteræ, quandoq; sinistræ, interdum perpendiculares: cum autem maior Solis eleuatio sit dum in Cãcri tropico remoratur, nunquam propterea supra nostrũ Zenith, quod uocant punctũ uerticale cernitur peruenire, priusquam etenim umbræ sinistræ fierent, hoc est vergerent ad meridiem, in seipsum corpus umbram reciperet, quod in his regionibus cõtingere haudquaquã potest, cum citra Cancri tropicũ habitemus. Posteaquã

igitur

igitur hic omnes ſumus, Ego certè non ab re futurũ eſſe arbitrarer, ſi aliqua inter nos quæſtio humaniter tractaretur, tum de alijs, ut quiſq; uelit, tum circa ea, quæ in prandio, ſi opportunum eſſet, longiori ſermone a nobis, ut obſeruaui, fuiſſent examinata.

CAL. *Imaginabar Federicium noſtrum aliquem ludum proponere, ſolatium aliquod nobis omnibus allaturũ: uel etenim latrunculis, vel theſſeris, vel aleis, vel aliquo liberali, ac ingenioſo ludo ex ijs centũ, quos felici docet calamo Etruſca lingua Innocentius Rhingerius, ſiue ex ijs Scipionis Bargalij in ſuis ludicris, nihilominus Ego vobis, ò amici, in omnib. morẽ gerã.*

Innocẽ. Rhing. Scipio. Barg.

QV. *Non equidem Viris Philoſophis ludere par impar eſt cogitandum: ſed & in philoſophia honeſti ioci reperiuntur, ac ludi, vt ſales interea aliquos, dictaq; mordacia prætermittam. quocirca non quidem, ut reor, nobis eſſet in præſentia diſputandum de infinito, de uacuo, de motu perpetuo, de primo cognito, de primo Motore, & id genus altioribus quæſtionibus, ſed potius nunc eſset permiſcendum ſeria ludo.*

BAL. *Ne igitur in teretiſmatibus huiuſcemodi, in his præludijs tandiu commoremur, dicerem ſodales optimi, vt ita ſermo inter nos partiretur: vt quilibet quæſtionem aliquam, quæ menſæ quandam ſaltem habeat rationẽ, proponat: qualis futurus ſermo nec Philoſophis, nec Medicis, nec conuictoribus abſonus, aut alienus videndus erit: quinimò noſtrûm omniũ erit induſtria illos Medicis, Phyſicis, ac cõuiualibus dictis, ſiue dogmatibus aſpergere, aut roborare.*

AP.

AP. *Ecquid, si de re rustica aliquid proponatur? non ne illud cum medicis, physicisq; sermonibus, ac cõmensalibus aliquod erit symbolum habiturum? cum præsertim ruri simus, & per culta Burchelati nostri vireta, vbi plura adnotanda conspexi, diutiùs fuerimus spatiati.*

GE. *Minime equidem puto sermonem de re rustica extra metas, quas noster Balthassarius statuit, diuagari: siquidẽ agriculturæ medio & mensæ exornantur, & medicatrinæ muniuntur, & naturæ miracula sæpe sæpius illustrantur,*

BVR. *Viri doctissimi, quæ vobis opportuna visa fuerint, Ego re ipsa omnia comprobabo: & tametsi futuræ quæstiones metam propositam transilirent, neminem suspicor fore reclamaturum, non etenim ad clepsidram, seu ex iudicum, aut clientum arbitrio sumus nunc oraturi. quo igitur ordine in præsenti locuti sumus, eo itidem, si vobis videtur, sermonem reassumentes, circa illud, quodcunque maluerit quispiam, ratiocinemur.*

FE. *Quemadmodum omnes modò propriam voluntatem explicuerunt, ita omnibus nisi in cunctis, in pluribus tamen satisfactum iri sperabo: propterea igitur ego ex vestrum omniũ consensu prior, quæ est cani capitis reuerentia, iam in mente conceptam circa cõmensalia dubitationem, siue opinionem meam, quo ad faciliùs fieri poterit, explicabo.*

QVÆSTIO PRIMA.
De Accubitu ad mensam.

FED.

VOTIES *in die comederent antiqui nõ facile est, uti ego suspicor, definire; nihilominus & semel in die eos manducasse cõperimus, idq; hora vespertina, quam ciborum sumptionem, ut nos etiam dicimus, cænam vocabant: & bis edisse, dũ circa meridiem prandium, sicut nos facimus, assumebant: & ter, dum etiam summo mane ientaculũ deuorabant, veluti & pueri nostri, antequam Scholas adeant, ientari consueuerunt, quod etiam Martialis lib.14. hoc disticho demonstrauit.*

Mart. *Surgite iam pueri, vendit ientacula pistor,*
Cristatæq; sonant vndiq; lucis aues.

Et quater antiqui comedebant in die, nempe etiã hora pomeridiana, quem cibum merendam, quemadmodũ nos dicimus; & nostri gnatuli, quin ministri, & ancillæ, quibus nulla maior in dominos cura est, quàm illos etiam, dum possent, absumere, ac deuorare, veteres, ut *Afran.* *Nonius.* *notat Afranius, atq; Nonius, vocitabant. Et quinquies etiam comedebant prisci homines, dum post cænam adhuc, antequam dormitum irent, commanducabant, comessationes huius horæ cibum dicebant: sicuti quandoq; etiam nos in conuenticulis dum post recitatas fabulas hyemis tempore ante focum stantes bellaria quædam, seu castaneas ligurimus, potumque illa hora leuiter sorbillamus: quapropter nullum, seu*

saltem

ſaltem modicum diſcrimen puto inter ciborum ſumptionis vices apud nos, atq; apud antiquos veraciùs comperiri.

CAL. *Quòd doctiſsimi tui ſermonis filum meis ex tempore prolatis uerbis interſecem doleo inquã, uerùm non dubito te ſolidiori iniuncto nodo illum ſumma noſtrorum omnium ſatisfactione elegantiſsimè expediturum: propterea nolui in præſentia cum ſilentio præteriri, apud antiquos in more fuiſſe poſitum ſemel in die commanducare, & bis ad ſummum, ſed hæc altera cibi ſumptio, quam prandium vocabant, adeo leuis erat, ut tantùm panem cum mero ſumerent, uti notat Plutarchus, qui ientaculum & prandium idẽ ueteribus fuiße ſtatuit: qui quidem Auctor aſtruit etiã Priſcos Romanos moderatè prandere ſeorſim, cũ amicis verò cænare conſueuiße: hinc Plato Siculos, atque Italos fuit admiratus, quòd bis in die, quaſi res noua eßet, cibis adimplerentur: vnde legitur in eius præclara epiſtola ad Dionis propinquos: quò cum venißem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Siracuſanarumq; menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri, nec vnquam pernoctare ſolũ, cæteraq;, quæ comitantur huic vitæ, in qua ſapiens nemo efficitur unquam, moderatus uerò multò minus, quæ uerba quinto Tuſculanarũ Quæſtionum M. Tullius referebat.*

Plutarc.

Plato.

M. Tul.

BVR. *Et Ego, Pater, occaſio quippe præceps, non valeo conticere, aliter ſentiens, ac tu facis de merendæ nominis acceptione, quam ex Nonij ſentẽtia retuliſti:*

Nonius

propterea idem fuiße Priſcis merendam, ac prandiũ
Paulus Manut. cogitans, affero Pauli Manutij auctoritatem in Calepini eius Additamẽtis, audite. Quater in die ueteres epulabantur, non omnes, ſed qui uentri libenter indulgerent: ientabant, prandebant, cænabant, comeſſabãt. cænas tum cibi largioris uideo fuiße: quæ cum prandio apud omnes in uſu erant: ientacula, & comeßationes aſotorum fuêre: merendam Feſtus pro Prandio
Feſtus Nonn. Verr. accipit, aliter Nonnius: ſed Verrij, quem ſecutus eſt Feſtus, apud me idem valet auctoritas: & cum rarißima merendæ mentio reperiatur, prandij creberrima, eo facilior adducor, vt cum Feſto ſentiam, idem fuiße prandium & merendam.

FE. Amici non aliter mecum egiſtis, ac ille, qui ſenſim ardeſcentem ignem aliquo furcillo prunas, & ligna ſtimulans, ac compungens, maiorem ex illis flãmam concitat, ac producit; propterea igitur fiet ut clarius hanc rem diffiniens, & dubitationes, quas in medium adduxiſtis remoueam, & orationem protrahã longiorem; oppoſitioni igitur primùm reſpondens dico,
Plato. non eße ignorandum Platonem Siracuſanos, Italosq; quoſdam damnaſſe, non quòd bis in die comederent, ſed quòd bis in die ad ſatietatem cibis redimplerẽtur, quod etiam videtur innuiſſe Hippocrates lib. de Ratione
Hippoc. victus in acutis quãdo dixit, maiori tamen moleſtia afficietur is, qui ter eadem die ad ſatietatẽ uſq; cibum ingeßerit, ac multo magis ſi crebriùs etiamnum cibum aßumpſerit; porrò ut clariùs appareat comedendi ritus, ac ordo apud veteres, paruam etiam inter

ipſorum

ipsorum vsum, ac nostrum differentiam audiatis. Antiqui nobiles, & moralibus virtutibus incumbentes, ac disciplinis perinde, atq; bonæ valetudini operã dantes semel in die cibis saturabantur, idque vesperi fieri consueuerat, & cæna dicebatur, ratio ea est, vt credo, quoniam matutino tempore exibant ad negotia forensia pertractanda, à quibus vltra meridiem vt plurimum distinebantur: mox domum reuertentes ad balneum accedebant, in maximo etenim vsu apud Priscos, præsertim Romanos fuerunt Thermæ, quod clarißimè explicat Hieronymus Mercurialis in libro illo de arte Gymnastica, loti autem uel iterum induebantur, vel etiam accubitorios lectos ingrediebantur, atq; ipsos ponè mensam, vel econtrà, constitui procurabant, & cænitabant: sicq; consumpta cæna sublatis poculis cum mensa somno pariter sæpius indulgebant: hinc est, quòd sæpe apud auctores legimus illos in lecto cubantes fuisse solitos cænitare. vnde dixit Horatius. Hieron. Mercu. Horat.

Sæpe tribus lectis videas cænare quaternos.

Eundem ritum seruabant in epulis publicis, in cænis Nuptialibus, in magnis conuiuijs. porrò illi, qui cænabant vespere, & mane, seu circa meridiem prandebant, pauci erant, atq; hi in prandio, vt notat Plutarchus de Priscis Romanis, vipam tantùm, scilicet panem cum mero sumebant, seorsim quidem, ac moderatè: idque faciebant vel ex consuetudine, vel vt ventriculi laßitudinem sublcuarent; & qui venabantur prandebant, obsonio etiam vescentes, quippe qui venationis laboribus magis exsiccabantur, Plutar.

vt

Xenoph. ut adnotauit Xenophon in primo Cyri Pediæ sub initijs; erant præterea qui merendam sumebant inter prandium, & cænam, hiq;, ut imaginor, erant adolescentes, operarij, ac artifices laboriosi, & est merenda (ut tibi etiam satisfaciam, Burchelate) mediocris cibi sumptio ea hora, qua sonant campanæ sacrorum uesperum,

Seræq; videbitur hora merendæ,

Calpur. Nonius Festus. dixit Calpurnius, idque cum Nonio statuo, quicquid Festus dixerit: præsertim quoniam prandium sæpius apud antiquos inuenio memoratum. Iuuenalis.

Hæc inter nautas & prandet, & errat.

Iuuen. Alexis Macro. Alexis antiquior. Nobis adesset ex quibus cũ prãdio cæna simul. Macrobius. Imperatum, inquit, ut patẽtibus ianuis pransitaretur, & cænitaretur. & alibi. Qui nouissimi comeso prãdio uenissent, cũ iam manus Gellius. pransores lauarent. Aulus Gellius habet. cũ legibus istis situ, atq; senio obliteratis pleriq; in patrimonijs amplis heluarentur, & familiã, pecuniamq; suã prandiorum gurgitibus proluissent, & alibi. cumq;, inquit, à cæno, & prandeo, et poto, & cænatus sum, & pransus sum, & potus sum dicamus. & alibi passim, sed Cælius Rhod. hac de re legatis apud Cælium Rhodiginũ Antiquarum lectionũ lib. 14. & Plinij Cæcilij, & Plinij se-Pli.Cæc. cundi, & Valerij, et Ciceronis auctoritates, dico itaq; Plin.sec. Valer. Cicer. illam consuetudinem ter in die mãducandi etiã Hippocratem tetigisse 2. de rat. vict. in ac. cum dixerit Hippoc. quamquàm etiã nonnulli, quibus nihil molestiæ affert ter in die cibo repleri. præsertim si ita cõsueuerint educari; postremo qui & ientaculum ultra has cibi acceptiones

ptiones sumebant, erant pueri, atq; etiam seniores, de quibus non est obscurum intellexisse Hippocratē quando dixit, ieiunium senes (non dicit decrepiti) ferunt facillimè, secundùm hos qui constantem ætatem agūt, minus adolescentes, minimè omnium pueri, atq; inter eos maximè qui acriore sunt, uiuidioreq; ingenio præditi. deinde subsequitur. Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, itaq; copioso cum egeant alimento abundè ipsis suppeditare oportet, alioqui corpus consumitur, in senibus uerò inest caloris parum, paruis propterea indigent succendiculis, exiguus nanq; ignis fomitis extinguitur multitudine. Ex quibus dictis colligere facile est omnes, quas superiùs sententias explicuimus: nempe senes tantùm cænare, atque isti sunt, quibus Reipub. negotia pertinebāt: in consistente ætate constitutos etiam prandere, vti lautiores, et propter ætatem liberiores: adolescentes merendam etiam sumere, uel ientari, ut qui adhuc crescentes vberiori alimento indigerent: pueros autem & ientaculum sumere, atq; merendam, vt qui plurimum habentes calidi innati, quod multum absumit, plurimo itidem alimento indigerent, & vt dicebat Galenus, in pueritia more brutorum saturitati operā damus: postremò senes, vietos, ac decrepitos, tum inordinatos, atq; Athletas etiam comessationes sumere post cænam, quin & hora qualibet manducare: Athletas quidē, vti qui propter nimium motum, ac exercitium corporis natiuum exsuscitant, augentq; calorem, decrepitos verò, vt qui vice qualibet parum sumunt: ijs etenim, vt in commento

Hippoc.

Galenus

Galenus *mento adnotabat Galenus, simile quiddam accidit, quod lucernis olei defectu sensim extinguẽdis, quæ licet pinguis cuiuspiã assidua affusione indigeant, multã tamen, & confertam non ferunt: sic sanè & his, qui senectute sunt ultima conuenit cibi copiam dare in uniuersum non magnam, eamq; in plures partiri portiones, non unam ipsis longam inediam imperare.*

QV. *Est etiam animaduersione dignum (ut uerbum addam) Consuetudinem tũ in rebus alijs semper, tum plurimùm in sumendis cibis, ac potibus ualuisse,* Galenus *propterea dixit Galenus in 2. de Humoribus comm. quòd si aliquis qui prandere non consueuerit, prandiũ sumat, is totum corpus infirmum, & graue persentiet, ipseq; debilis, & piger reddetur: quòd uires à cibo, ueluti à pondere quodam prægrauentur: in ijs verò qui prandere soliti sunt, si non prandeant, virium inesse imbecillitas perspicitur, propterea quòd in eiusmodi mutationibus vires suapte ratione infirmæ reddũtur:* Hippoc. *viscera quoq;, vt Hippocrates scriptum reliquit, eis pendere videntur, vrina calida, pallidaq; redditur, stercus exuritur, oculi concaui redduntur, tempora palpitant, & extrema perfrigerantur.*

FE. *Et id vtiq; verum est: porrò quòd non absimilis apud nos etiam hoc nostro tempore in comedendo seruetur ordo non est dubitandum: & equidẽ nullum aliud discrimen cerno, nisi quòd vbi semel in die manducantes cænabant, nos semel in die manducantes hora meridiana prandemus: & si antiquorũ more bis manducamus, eorum ientaculum, seu prandium*

quod

quod ex pane, & mero constabat, nos cum ieiunamus tale quidpiam parùm ante cubitum deglutimus. ubi autem plurima vigent negotia, ac longiora, veluti præsertim Venetijs contingit: & apud nos in vigilijs Natiuitatis Domini duntaxat in meridie modicum tragematum, quæ ad nos mittunt seduli aromatarij, citroneatum nempe, amygdalatumq; deuoratur: hora postmodum vespertina sumitur prandium, quemadmodum fit Venetijs, instituto propemodum ordinario, quod sanè loco cænæ antiquorum potest constitui, tametsi nulli propemodum cænæ obliuiscantur, & illam in quartam, quintam, & quandoque ultra septimam noctis horam producant: paucißimos autem in vespere tantummodò cibum sumere comperi, atque eos Venetijs Carthusianos Monachos cucullatos.

BVR. *Sensim obsecro Federici, audiamus quid Nicolaus Perottus in Cornucopia, & ante ipsum Festus, dixerint, ut cognoscamus antiquos etiam Venetum illud institutum seruaße, seu nostrum, nullumq; eße in hac re discrimen, præter ipsius nominis. inquiũt isti, cænam veteres id dicebant, quod nunc prandium dicimus, & quam nunc cænam dicimus illi vespernã vocauere: quod id conuiuium non nisi aduentante nocte inibant Prisci: quapropter cũ antiqui in arte tuendæ valetudinis apprimè versati eßent, ut etiam sola diætæ, victusq; rationis obseruatione, quam nos in sex illis rebus vocatis à nobis non naturalibus, longa sæcula absq; medicis, siue eorum indigentia produxißent,* Ni. Per. Festus

K dicendum

dicendum cogito illos, qui vesperna vtebantur, uel cænaſſe hora meridiana, qua nos prandemus, & in noctis crepuſculo veſpernam comediſſe, vel ſi cænarint in veſpere, veſpernam in quartam, et quintam noctis horam protraxerint: nam ad eorum cænæ digeſtionẽ rectè abſoluendam uix ſufficiunt quinque, aut ſex horæ, & quandoq; ſeptem, de qua re & Galenus, & Auicenas ad longum: propter quod nos etiam à prandio ad cænam vſq; continuè octo circiter horas negocijs incumbentes protrahimus incibati.

Galenus
Auicen.

FE. *Lætor quòd modicum laboris mihi ſubtraxeris. porrò merendam ſumunt adoleſcentes, æſtiuis diebus præcipuè: ſic operarij, & laborantes, et ruſtici: pariter ientantur pueri, et decrepiti, atq; præter hos helluones nil aliud tota die faciunt, quàm per popinas, et ganeas uncti mandere, ſe mero proluere, atq; continuè ingurgitare: ueluti de Acerra potante per totam noctem dicebat Martialis,*

Mart.

Heſterno fætere mero qui credit Acerram,
Fallitur, in noctem ſemper Acerra bibit.

His hunc in modum conſtitutis, & auctoritatibus pro antiquorum ritu, & pro neothericis quotidiana experientia confirmatis, aliud maius dubium me detinet, ò Amici, nunquid ſcilicet, antiqui bene inſtituti, atq; uitæ propriæ regulã obſeruantes, ſederent ad menſam, ſiue potiùs in lectis decumberent, dum cænabant: quãdoquidem rarò inuenio apud ſcriptores plurimos, quos legerim, mentionem cænæ, quin & lecti memoriã aliquam comperiam ſimul poſitam: & certè niſi uos ea,

qua

qua ualetis, ſolertia me in aliam ſententiam diuertatis, ſum Ego huius opinionis, antiquos in lectis decumbentes cœnare conſueuiſſe. En, tres uobis profero cœnas ſumptuoſiſſimas. vnam quidem ex 3. Saturnaliorum Macrobij, alteram uerò ex primo capite libri Eſther in ſacris Biblijs. tertiam ex Diodoro Siculo lib. de Alexandri geſtis anno primo. itaq; ſcribit Macrobius. Refero Pontificis uetuſtiſſimam cœnam, quæ ſcripta eſt in Indice 4. Metelli illius Pontificis Maximi in hæc uerba. Ante diem nonum Kal. Septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus eſt, domus ornata fuit, Triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt, duobus Triclinijs Pontifices cubuerunt. Q. Catulus. Mar. Æmilius Lepidus D. Syllanus. C. Cæſar Rex Sacrorum. P. Scæuola. Sextus. Quin. Cornel. P. Volumnius. P. Albinouanus, et Lucius Iulius Cæſar Augur, qui eum inaugurauit. in Tertio Triclinio Popilia Perpenia, & quæ ſequuntur. Porrò in libro Eſther ponitur cœna illa ſumptuoſiſſima Aſſueri potentiſſimi Regis. referam locum tantùm, ne uos tædio afficiam longitudine. Cumq; implerentur dies conuiuij inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo uſq; ad minimum, & iuſſit ſeptẽ diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat, & pendebant ex omni parte tentoria ærei coloris, & carbaſini, ac hyacinthini ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoq; aurei,

Macro.

Eſther.

& argentei super pauimentum smaragdino, & pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat. Bibebant autem qui inuitati erãt, aureis poculis, & alijs atq; alijs vasis cibi inferebantur, cum subsequentibus. Quod autem à Diodoro Siculo de cœna Magni Alexandri adnotatur, accipite. Scœnam verò tam amplam struxerat, vt centum lectos caperet, ubi amicos, et qui ordines in exercitu ducebãt, legatosq; ciuitatũ conuiuio accepit: splẽdidißimi apparatus Epulo ei cũ multi interfuißẽt, militibus etiã omnibus sacrificiorũ, et conuiuij partes distributæ sunt.

Diod. Si.

QV. *Non antiquam de antiquorum accubitu ad mensam, ò Federici, Quæstionem promoues: quandoquidem, vt alios omittam, Philander in suis in Vitruuium commentarijs hanc rem pluribus scriptorum auctoritatibus, ut audio, adeo resolutã reliquit, vt nullus amplius dubitandi relictus videatur locus: & si in aliquo uideretur alicui diminutus, Mercurialis lib. de Gymnastica, & rationibus, & exemplis, et magis, marmoreis triclinijs antiquorũ in exemplum relatis, omni circa hanc dubitationem desiderio satisfecit: quare absq; alijs altercationibus statui iure poßet, antiquos in lectis decumbentes cœnare consueuiße.*

Philan. Vitruu. Hieron. Mercu.

BAL. *Non utiq; hanc dubitationem adeò sublatam uideo, ut adhuc ansa aliqua cum ratione dubitandi non sit relicta: quare non ab re me facturum opinor, si aliqua utar scriptorum auctoritate, qua & sedere ad mensam antiquos consueuiße facilè comprobarem: audiamus igitur Athenæũ in uestibulo lib. 11. Dipn.*

Athen.

sic

ſic adſcribentẽ. Cum nos opportunè, ac ſtudioſè ob pocula conueniſſemus, omneſq; ſederent adhuc, priuſquã quidpiã diceretur, ait Vlpianus, Sedent ò viri Amici, optimates. qui cænãt apud Adraſtum: Polyidusq;, dum in uia ſacrificat, accedentẽ Peteum moratur, ac inter herbas ſedere faciens. germinaq; confringens pro menſa, ea, quæ mactata fuerant, illi apponit, atq; nutrix ſedenti Autolico, qui ex Ithaca ad diuitẽ populũ uenerat. manifeſtum eſt autẽ quòd ita edebant illius tẽpeſtatis homines. ac de Vlyſſe ita ſcribit Homerus. *Homer.*

Inuenit puerum, peperit quem filia paruum
Euryclea illũ mox ĩter genua locauit Deſtitit ut cœnare
Sedere fecit inter genua, non autẽ apud genua poſuit.

adhuc Athen. in quibus paucis uerbis quinquies ſedẽdi facta eſt mentio, imo inter ipſos diſputantes, uti reſolutum ſtatuitur, ac diſcuſſum, antiquos illos ſedentes cœnare ſolitos, dum dicunt, manifeſtum eſt autẽ, quòd ita edebant illius tempeſtatis homines; præterea idem Auctor in cœna, quã Cleopatra abeunti M. Antonio *Athen.* *præbuit in Cilicia, ita ſubiungit, at torum, in quo quiſq; Ducum conſederat, & calices, ſicut etiam ſellas omnibus diſtribuit, auferriq; iuſſit.*

BVR. *Quod mos fuerit illius tempeſtatis, quã retuliſti, ad menſam ſedere, non cunctabor, nihilominus nullam audio ſcamnorum, quibus utimur, aut ſedium factam ſimpliciter mentionẽ: quare dixerim illos tũc ſediſſe inter herbas, vt verba relata ſonant; & quod de Vlyſſe refert Homerus, clarum eſt puerum illum potiùs inter genua, ſcilicet in gremio ſedentis ſuper*

ſtrami-

straminibus, nempe lectulis ex herba, & frondibus stibadijs à Græcis vocatis, collocatum fuisse, de quibus Seruius. *Seruius in primum Æneidos inquit, stibadia antiqui non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur, unde & dicit triclinium. Porrò tori à Cleopatra Ducibus consedentibus dono dati lecti intelliguntur, non subsellia, tori enim nomine passim apud Auctores cubilia intelliguntur, vnde Ouidius* 1. *Metamorph.*

Ouid. *Cum consorte tori parua rate vectus adhæsit,*

& 10. appellatq; tori sociam. veluti & Syllius.

Syl. Ital. *Dulcesq; marito Effluxêre tori, & alij multi.*

BAL. *Tori nomen pro cubili quandoque intelligi non inficior, tametsi possem arguere, Nasonem & Syllium intellexisse nedum lecti consortem, & sociam, verùmetiam dulcis mensæ, quãdoquidem sæpe sæpius torum pro mensa inuenimus vocitatum. ecce Virgil.*

Virg. *Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurisia pictis*
Gens epulata toris, Mart. *& Martialis.*
Imperat extructos frangere nona toros.
Et Natalis Comitum hora quintadecima,

Nat. Co. *Ast alij posuêre toros, pictasq; cathedras.*

Atq; alij auctores plurimi. quare non est dicendum toros iam ab auctoribus nominatos pro lectisternijs, sed potiùs pro mẽsis positos esse; & quãdo dixit Ath. Athen. *Torum, in quo quisq; consederat, intelligendum est de mensa, ad quam quisq; Ducum cõsederat, aliter fuisset absurdum subiunxisse, & calices, sicut etiam sellas omnibus distribuit, auferriq; iussit: non etenim & in lecto, & in sella ad idem conuiuium sedebit quispiã; sed*

ſed accipite Virgilij auctoritatem de accubitu ad mẽſam, nempe de ſeßione, & de toro, non pro cubili, ſed pro menſa accepto. *Virg.*

Hæc vbi dicta, dapes iubet, & ſublata reponi
Pocula, gramineoq; viros locat ipſe ſedili,
Præcipuumq; toro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolioq; inuitat acerno.

Vbi nedum Euander acernum ſolium Æneæ ad ſedendũ conſtituit, ſed & ipſe collocat viros omnes, nõ duos uel quatuor ſedilibus illis ex gramine cõformatis.

CAL. *Quid eſt quòd vlterius diſputetur, nunquid torus pro menſa, an pro ſtrato cubili accipi debeat, cũ centies pro lecto ſumatur ab auctoribus antequam bis pro menſa accipiatur? Ouidium audiatis,* *Ouid.*

Sed iacui pigro crimen, onusq; toro. & *alibi,*
Atq; erit in ſocij fœmina parte tori. &
Sic coëunt ſacro nupta Deusq; toro. Et Virg. de Did.
Incubuitq; toro, dixitq; nouißima uerba. Et Mart. *Virg.*
Et caleat blando mollis amore torus. *tum* *Mart.*
Quid torus à Nilo, quid ſindone tinctus olenti, tum
Frãge toros, pete uina, roſas cape, tingere nardo. *tũ*
Dormit & in pluma, purpureoq; toro. Et Tibul.
Te memini & puro ſuccubuiſſe toro. Et Propert. *Tibul.*
Nec timet oſtrino Tulle ſubire toro. Et Seneca. *Proper.*
Tori iugalis abnuit Merope nephas. Et Apul. *Seneca.*
Genialem torum religioſus ſuſpice. Et Pontanus. *Apul.*
Non tyrio ſubnixa toro, ſpondaue nitenti. *Pont.*
& ille Natalis tuus hora xix. *Nat.*
Quàm iacuiſſe toris auratis, purpureisq;.

Perottus

Perottus in Cornucopia sic habet, & torus lectus ab intortis herbis ita vocitatus, Virgil.

Virg. *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.*

Atq; hi et plures alij, ut etiam apud Textorē legitur, torum pro cubili reposuère; quod autem ad auctoritatē Virgilij attinet, ò amice, ea non ita facile cogit nos mutare sententiā, ut ob id sedisse ad mensam antiquos assentiamur. audi igitur quod super hunc locum dicat

Macro. *Macrobius Saturnaliorum 3. Non vacat quòd Virgilius dixit sedili, nam propria obseruatio est Herculis*

Cor.Bal. *sacris epulari sedentes. & Cornelius Balbus lib. expositionum 18. ita ait. apud aram maximam obseruatum ne lectisterniū fiat: quocirca ex vnico in Herculis honorem conuiuio, aut sacrificio non est vt statuas Priscos omnes sedentes cænare consueuisse; quòd autē cubarent, præter adductas à Federicio auctoritates, duas auctarij loco addā: ex Virg. alterā lib. 1. Æn. s.*

Virg. *Cum venit, aulæis iam se Regina superbis*
Aurea composuit sponda, mediamq; locauit,
Iam pater Æneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, stratoq; super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cererēq; canistris
Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis.

Alteram autem lib. 6. vt appareat etiam apud inferos huiusmodi discumbendi modus,

Virg. *Lucent genialibus altis*
Aurea fulcra toris, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu. Furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas.

Addam

Addam & tertiam auctoritatẽ, quæ est Terentij in Adelphis, ubi ait. Lectulos in Sole iligneis pedibus faciundos dedit: vbi potetis vos. quòd si tori dictioni oppones pertinax, alijs nunquam repugnabis, nempe quòd per spondam, & est metonimia, atq; per fulcrũ lectica lignea, siue vt nunc nos vtimur, ferrea stans, quæ stratum lectum sustineat, minimè intelligatur. cum & Martialis in Cheremontem dixerit, Terent.

Et teges atq; cimex, et nudi sponda grabati, &c. Mart.

BAL. *Tametsi multa à vobis hucusq;, viri doctißimi, allata sint, quibus satis superq; comprobatum videtur antiquos in lectis compositos epulari: nihilominus Ego neutiquam decedo à priori sententia: imo magis asseuero antiquos sedentes commanducasse, non quidem omnes, ueluti uos omnes cubantes statuitis, sed plurimos, vti etiam cum Virgilio comprobaui: propterea duabus eiusdem summi Poëtæ auctoritatibus, quas noster Calcia proposuit, experiar breuibus respondere, atq; insuper loca alia proferam hanc meam de seßione sententiã, vt puto, corroborantia. quapropter, quod spectat ad fulcra aurea, non inficiar per ea lecticam, etiam denotari, ad cuius spondam sedere, dummodo ibi mensa parata fuerit, non absonum puto: & nos quandoq; ita sedimus cœnitando, imò istud antiquum statuo cum Suetonio in vita Claudij Neronis dicente. Qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur, videlicet super parte illa lignea, quã spondam dicimus, deficientibus subsellijs residebant. ad alterum autem Virgilij allatum locum dixerim* Sueton. Tranq.

per spondam æque posse intelligi spondam, seu caput mensæ, ac, vt vos statuitis, lectisternij: veluti dicere voluisset Maro, quòd ad medium in mensæ capite se collocasset Dido, sicut nouas sponsas nunc collocamus, noua enim et Dido sponsa fieri designarat: tũ Æneã, atq; iuuentutẽ Troianam hinc inde super strato Ostro sedentem ad mensam discubuisse. tametsi Grapaldus lib. 2. de partibus ædium hunc locum secus intelligens asserat, in Accubitis non tam summum, quàm mediũ locum esse honoratiorem. Sed audiamus quid eo loci dixerit Sebastianus Regulus in suis in 1. Æneidos explicationibus, en affero verba propria. Vbi separatim ab alijs Reginam, & in aurea sponda sedentem (mulieres enim sedentes cænabant) facit, ac mediam, quia et Regina, & fœmina erat. mos autem fuit apud ueteres, & maximè Romanos, vt de institutis antiquis narrat Val. Max. ne cum viris mulieres accumberent. porrò vultis auctoritates comprobantes antiquos in mensis sedere consueuisse? ecce Virgil. lib. 7.

Grapal. Seb. Reg. Valer. Max.

Hæ sacræ sedes Epulis, hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Virg.

Et Athenæus, vbi de cæna Arcadica, inquit, coquũ, qui hydrias ferret, mensas, subselliaq; ad sedendum, omnemq; apparatum huiusmodi præbebat, præter uasa coquinaria, quæ choragus suppeditare consueuerat, legimus præterea apud Strabonem, Lusitanos sedentes cænitare ædificatos in pariete hemicyclos habentes. Sed & in sacris Biblijs, vt loca alia plurima prætermittam, Exodi 32. Sedit populus manducare, & bibere,

Athen. Strabo. Strab. Exod.

bere, & surrexerunt ludere, sed & Homerus in Procorum conuiuio sic clarè loquitur.

At Proci ingreßi sunt, qui mox inde superbi Homer.
Ordine sederunt scamnis, atq; ordine thronis.

Et vbi Thelemacus, eiusq; socius à Menelao hospitio accepti sunt.

Thronis sedebant propè Atridem Menelaum.

Sedebant eo tēpore cænantes, inquit Athenæus, quare Athen.
Homerus multis in locis scripsit, Inde thronos sedere super, sedesq; paratas. Sed & noster Plato in con- Plato.
uiuio prope initium sic scriptum reliquit. Tu autem Aristodeme iuxta Erisimachum accumbe: heus tu dato huic manibus aquā, vt jam sedeat. & inferiùs. Ad quem, Agathonem, qui vltimus sedebat, & solus, ita dixiße. Hic Socrates propè me sede, vt te tangens sapienti illa sententia fruar, quam in vestibulo excogitasti: sedisse itaq; Socratem, atq; dixiße, &c. cumq; sermo augeretur, dixit Agatho, Atqui hæc postea de sapientia Ego, ac tu diiudicabimus Dionysio iudice, nunc autem cænam.

FE. *Eius sit, viri optimi, litē dirimere, cuius fuit eam proponere, dummodo diremptam, ac terminatā per ea, quæ sum relaturus, vos statuatis. Quocirca cū vos tot scriptorum auctoritatibus disputantes audißē, præter eas, quas ruminabar, in eam deueni sententiā, quòd sicuti apud antiquos ientaculum, prandium, merenda, cæna, atq; aliæ comessationes reperiebantur, uaria hæc, ac uariata pro ætatum, valetudinis, exercitij, ac regionum diuersitate, perinde atq; apud nos illa*

omnia tali propemodum discrimine exercitata cognoscimus: unde dixerat Episcopus Sypontinus; sicut in prandio, merenda, cœna, comeßatione dilutiùs, ita in Aurora meraciùs bibere, & salubre putatur, & usu receptum est, non aliter de accubitu, discubitu, seu seßione ad mensam dicendum putarem, nempe apud antiquos gentes varias varijs modis cœnare consueuisse, perinde ac in præsentia monstrat consuetudo. nos inquam Itali sedemus ad mensam super scamnis, seu sedibus operosis, inter nos ægrotantes, quinetiam senes, atq; nimis ocio, plumisq; indulgentes, in cubilibus etiã dispositi cibum capiunt. rustici, dum putant vineas, metunt segetes. fœnũ dißecant pariter in sulcis, in plano, seu in fœni fulcimentis discũbentes repositũ in herboso, siue æquo solo prandiũ sumũt, atq; merendã: sunt præterea Thraces, Turcas, et plures barbaras gẽtes ad terrã super puluinaribus, vel aliquo simili circa mensam discumbere, veluti crediderim discubuiße Dariũ

Diod.Si. *Persarũ Regem: nã ex verbis Diodori Siculi describentis Alexandrũ Susis in solio victi Darij sedentẽ, cũ minoris eßet staturæ ipso Dario, neq; pedibus terrã tangeret, legitur puerũ quempiã apportaße Darij mensam, pedibusq; Regijs pendentibus eã supposuiße, quæ cum aptißimè fuißet accõmodata, Alexander ualde eius, qui id egißet, ingeniũ cõmendauit. cæterùm quòd maior pars antiquorum in stratis, ac lectisternijs cœnare consueuißet, adhuc sum dubius, quandoquidẽ uobis in præsentia afferã auctorũ loca in utramq; partẽ: veluti quòd nunc maior pars ad mensam sedeat, istud*

parum

parũ discriminis in quæstione nostra coniјcio positurũ: quòd si huius differentiæ rationem etiam volumus cõstituere, ita cum Doctißimo Mercuriali in eius Gymnastica rem terminarem. s. ad mensam sedere vtiq; accubitui in lecto simpliciter præferẽdum, ac eligendũ esse, nam si hos mores inuicem comparemus, certè sedentes ualde maiori cõmoditate, facilitate, dignitate, ac honestate vtuntur, quàm accumbentes: accubuiße autẽ potiùs antiquos illos, quàm sedisse, propterea quia ipsi quotidie lauabantur, & à balneo recedentes, ad iã cõtractam, aut ad mox futuram laßitudinem tum ob ieiunium, tum ob balneũ euitandã post modicũ tẽporis accubitorios lectos ingrediebantur, ibiq; mensas sibi apparari continuò procurabant. dixerat Mart.

Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris, Mart.
Imperat extructos frangere nona toros.

Quare exinde possemus arguere, rarò non utentes balneo recumbentes cænare, tametsi substruat Mercur. balinei lotiones accubitũ ad mensam fuisse causatas, & succeßiuis temporibus huiusmodi morem adeo percrebuiße, ut, qui lecto secus mensam careret, pro uili, ac sordido teneretur. Cæterùm nos, qui minus utimur balneis, cõmodo consulentes, ac dignitati in sedibus uariè laboratis ad mensam duorum pedum, plus minus, altitudinis pedibus stantem sedemus. Hieron. Mercu.

GE. *Parcas, amabò, Federici, mox reuerteris, pariter parcat celeberrimus Mercur. Ego tametsi pluribus à te relatis ex ipsius Gym. lubens aßentior, nõ ppea acquiesco illius expositioni sup hoc disticho Vatis Celtib.*

Omnia

Omnia cum retro Pueris obſonia tradas,

Mart. *Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?*

Dum aſſeuerat id eſſe clarum teſtimonium antiquos in lectis procumbentes cænare conſueuiſſe, perinde atq; ait Chriſtum Dominum in fulcro cum Simone diſcubuiſſe ex eo, quòd Euangeliſta dixerit, Maria Magdalena ſtans retrò ſecus pedes Domini lachrymis cæpit rigare pedes eius: cum potius cōtrarium ab his auctoritatibus colligere ualeamus, atq; ita pictores innumeros per mille, & ultra quingentos annos hanc hyſtoriam depingentes ſumma cū ratione excuſare; quādoquidem bene utiq; poteſt contingere, ut quis ſedeat in ſcamno, & alius flexis ad terrā genibus ſtet retrò, et humiliter protendens corpus, ac manus ſit ſecus pedes, lachrymis eos irriget, ac oſculetur; quòd ſi dixerit aliquis uerbum ſtare innuere erectum eſſe, & propterea ibi fuiſſe poſitum, quoniam Maria ſtaret pedibus, ut ad pedes Domini ſuper lecto pertingeret, dico quòd ſtare nō ſemper importat corporis rectitudinem, unde Apuleius dixit, dum forte ſtarent in taberna ludentes, et Plautus ſtabat in portu nauis. Præterea Magdalena uſqueadeo pænitens euaſerat, ut non modo indecens cogitaßet ſtare pedibus, imò potiùs & genua flectere ſibi parum fore putaſſet, cum ſe ad terram proſtratam potiùs oſtendere uoluiſſet: cum præterea impudentis, ac temerariæ potiùs, quàm uerecundæ, atq; humilis extitiſſet, detegere pedes Chriſti Domini cubantis in lectiſternio. neque obſtat dicere quòd ſtaret pedibus, ut poſſet tangere Chriſti pedes, cum & genuflexa

Luc. Eu. — Apul. — Plautus

flexa istud opus exequi pariter, ac decentiùs potuisset: & si persistat aliquis ipsam stetisse pedibus, astruam cum Matthæo, & Marco Euangelistis ipsam tunc vngere caput Domini. ad Martialem quod attinet, animaduertendum est illum, vt qui mordax erat, & plusquam Cynicus, taxare, ac carpere voluisse Inuitatorem quendam, vt in titulo legitur, qui sanè nimis parcus, illiberalis, ac sordidus semesa obsonia, et forsan intacta retrò pueris asportanda tradebat: non etenim video quomodo quis ita commodè retrò porrigere valeat obsonia in lecto accumbens, atq; potest ille, qui in scamno sedeat: nam lectisterniū debet esse ad minus longum æque, ac statura est hominis, si modò ad lecticæ caput ponebant mensam, & tunc difficile admodū fuisset stantibus ad pedes pueris tradere cuncta obsonia: sin verò per transuersum lectuli discumbebant, adeo vt spondæ incumberent, ueluti sonant uerba Virgilij de Didone, se Aulæis Regina superbis Aurea composuit sponda: et id satis incommodum esset: quapropter satius dicendum statuerim, sic Valerium innuere voluisse. O inuitator noster, cum tantum facessas negocium pueris in porrigendo, teq; retrò sæpissime, nec quidem commodè, conuertendo, cur non ponitur tibi mensa altera ad pedes, prope nempe, vel sub hac recondita, ut minus sentiant conuiuæ, minusq; incommodū patiaris? Verùm hæc non quidem, ut Magnifico Mercuriali obijcerē, quem maximè admiror, sed ne in hac disputatione prorsus ociosus uideam, in præsentia sic volui ratiocinari.

Matth. Marc. Euang. Virg.

BVR.

BVR. *Ego, ne multis rem distraham Præceptoris mei Clariß. Mercurialis me in Doctoratu insigni laurea coronantis sententiam tuiturus, breuibus dicerem ambas allatas auctoritates ancipites esse, & in vtrãq; sententiã trahi poße: nã primùm scimus antiquos plurimos in lectis cœnare consueuisse: hinc est illa vocum frequentia accubiti, accubitus, accubitæ, discubitus, lecti, fulcri, tori, puluinaris, vnde & Horatius, cui poculis intermißis, si mauultis, obtemperemus.*

Horat. *Nunc est bibendum, nunc pede libero*
Pulsanda tellus, nunc saliaribus
Ornare puluinar Deorum
Tempus erat dapibus sodales. & *Ouid.*

Ouid. *Ergo vbi contigerit positi tibi munera Bacchi,*
Atq; erit in socij fœmina parte tori.

Lãprid. *Et Lampridius scribit (ommodum non accubuisse, nisi in accubitis, quæ pilum leporinum habuißent, aut plumas perdicum subalares, perinde atq;* Cicero. *Cic. 4. Tusculanarum quæstionum dixit, & Deorum puluinaribus, & Epulis magistratuum fides præcinunt: qui pariter lib. 5. referens Dionysij Tyranni conuiuium, quod eius assentatori Damocli præbuit, sic adscripsit. Collocari iußit hominẽ in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosq; complures ornauit argento, auroq; cælato; tum ad mensam eximia forma pueros delectos iußit cõsistere, eosq; ad nutum illius intuentes diligenter ministrare, cum sequentibus, vnde & Horatius.*

Horat. *Districtus ensis, cui super impia*

Ceruice

Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem,
Non auium citharæue cantus Somnum reducunt.

Quapropter, ad propoſitum noſtrum, vtroq; modo potuiſſet Magdalena Chriſti Domini pedes lachrymis irrorare, perinde atq; ille Præbitor Martialis potuiſſet ſtatuere alteram menſam ad pedes, vel poſt ſellam, ſi ſedebat, uel in fine lectuli ſi cubabat uel etiam ſubtus menſam, cum ſuſpicer tamen. Hyſpanũ dicere uoluiſſe, ò inuitator qui videri vis largus in mẽſa lauta, cum nolles parcus, vt manducetur, cur non ponitur tibi potiùs menſa à pedibus, ideſt menſa breuis, et facile parabilis: modò ſit mihi menſa tripes, dicebat Tigellius cantor: iligneis pedibus dixit Terentius: in qua pauca, atq; ea vulgaria reponi ſolent. ut autem auctorum mentes prorſus abſq; errore percipere valeremus, alloqui ipſoſmet oporteret, quod cum per edacem mortem ſit vetitũ, ſua vtatur quilibet in rebus dubijs cõiectura, nulli etenim philoſophandi præcluſus eſt aditus. quare, ò Federici, quibus lubet auctoritatibus hãc de accubitu dubitationem concludas. Ex Hor. Terent.

AP. *Ne mihi illud Epigrammatarij poëtæ, ò amici, verè nimis obijciatis,*

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis. Mart.

Vnum referam, me nunquam mihi potuiſſe perſuadere, antiquos dum in hortis cænarent, etiã lectos eò traducere procuraſſe, ſed duntaxat in thalamis, in balneis, in cænaculis, in conclauibus, in triclinijs: hinc eſt quòd Cicero non meminit lectiſternij, dum 3. offic. dixit, Cicero.

xit, & simul ad cænam hominem in hortos inuitauit
lib.Esth. *in posterum diem: & tametsi in magno Assueri Regis conuiuio in horti uestibulo præparato de lectulis aureis sermo fiat, illi super pauimento statuebantur, vbi pendebant ex omni parte tentoria, atq; per centum, et octoginta dies erat conuiuium duraturum: bene autē in triclinijs, & discubitorijs conclauibus lecti sternebantur, vnde præter Horatium dicentem,*

Horat. *Sæpe tribus uidens lectis cænare quaternos.*

Iuuen. *ait Iuuenalis. Tertia ne uacuo cessaret culcitra lecto. Vnde colligunt obseruatores triclinium discubitorium tribus fuisse instructum lectis, atq; inde nomen id accæpisse; tum pro loco vbi epulabantur accæptum est, vnde dixit Quintilianus, Triclinium supra conuiuas*
Quint. *corruit, loquēs de cōuiuio, vbi Scopas epulabatur, quod*
Cicer. *etiam refert Cic. 3. de Oratore: & Vitruuius ait, in*
Vitruu. *triclinijs, cæterisq; conclauibus maximus est vsus luminum: vt inde colligere etiam valeamus antiquos noctu sæpius in triclinijs commessatos: cuius horæ conuiuium nunquid cæna, an uesperna dicēdum sit, certè sum anceps, cū de alterutro non temerè poßit intelligi.*

.BVR. *Ego & pro ipsis lectis, & pro reliquo discubitus apparatu acceptum fuisse triclinium obseruaui, tum pro cænatione siue cænaculo: & Calepinus Triclinium latinè exponit discubitorium cōclaue, ubi substruit, erat enim locus in quo discumbebant, & cænabant, à tribus lectis, quos in eo sternebant, nomen habens: nam tres mensas in conuiuio apponere veteres solebant, & cubantes cænare. illud insuper obseruaui,*

nedum

nedum in iam tactis locis, sed & in publicis plateis quandoq; fuisse paratum. audiatur Cicero, in foro sibi triclinium statuerat, quod explicans paulò post subdit, imperauit, vt in foro sibi medio lecti sternerentur. neque semper triclinium, sed biclinium, vel Græcè diclinium comperi, pro loco, vbi duo existunt lecti, unde Plautus in Bacc. in biclinio cubitum eatis, atq; alibi in eadē Comædia dixit, vbi sunt lecti stratis, potetis citò: Sed iam, ò Federici, quod reliquum est de conuiuarum ad mensam dispositione nobis edissere. Cicer. Plautus

FE. *Addas, Burchelate, nedum biclinia triclinijs, sed et tetraclinia, & septemclinia, atq; etiam nouemclinia ex Athenæi Dipnosophistarum lib. 2. & quid in ijs fieret, audite pauca Anaxandridis. in tricliniū statim ductus est, & harmoniæ ad senem; cænacula aperi, domū riga, sterne lectos, ignem suscita, craterā accipe, uinumq; misce suauissimum, & 5. lib. in pompa illa Antiochi habetur, quòd sternebantur in conuiuium sæpe mille triclinia; & inferiùs legitur, hic quidem accumbebat, ibi vero sedebat. Cum & Scimpodium sit vilior, atque humilior lectulus diurnæ quieti præsertim accommodatus: in quo quidem ut plurimū vnus tantummodo recubabat, si Aulo Gellio credimus, ac Æliano. Et puluinaria pariter apud veteres fuerint lectuli Dijs dicati, in quibus illorū simulachra consueuerant reclinari: hinc dixit Cicero, Aram, & ædiculam, & puluinar sub saxo sacro dedicauit, & Liuius, Curatum lectisterniū, & per triduum habitū, et puluinaria in conspectu fuêre Ioui, & Iunoni, &c.* Athen. Anaxā. Athen. Au. Gel. Aelian. Cicero. T. Liu.

Hæc autem atq; alia multa apud Calepinum legātur. iam verò igitur, vt ea, quæ hucusq; retuli, facilè comprobentur, en affero vobis promiscuas eo, quo mihi in mentem venient ordine, auctoritates. Val. Max. lib. de institutis antiquis auditote. Fœminæ cum viris cubantibus sedentes cænitabant, quæ cõsuetudo ex hominũ conuictu ad diuina penetrauit, nam Iouis Epulo ipsi in lectulum, Iuno, & Minerua in sellas ad cænã inuitabant. hic, domini, obseruate cubationem in cubilibus, & pariter sessionem in sellis. Apuleius cum dixisset in Byrrhenæ cæna opipares citro, & ebore nitentes lecti aureis vestibus intecti, ampli calices uariæ quidem gratiæ, & quæ sequuntur. paulò post subiunxit, ac sic aggeratis in cumulum stragulis, & effultis in cubitum subrectusq; in torum porrigit dexteram, & instar Oratorum conformat articulum. Quæ autẽ proponit Plutarch. in Symposijs, præsertim vbi disputat de angustia accumbentium in lectisternijs, & de eorum modò in dexterum, modò in læuum latus dispositione, cum longiora sint, neque sit opus, in præsentia prætermitto. Videamus in sacris Biblijs hanc lectulorum, sediumq; miscellam. Mulier illa Sunamitis, quæ Heliseum excæpit, ita ad virum suum conuersa dixit, Animaduerto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter, faciamus ergo ei cænaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt, cum venerit ad nos, maneat ibi. & in libro Esther legitur de Assuero, qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito,

Valer. Max. — Apul. — Plutar. — lib. Reg. 4. — lib. Esth.

consito, & intraßet conuiuij locum reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait, quæ subsequuntur. & in lib. Ezechielis habetur. Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te. veluti Plutarchus in quæstione 3. conuiualium dixit, Lamprias, qui more suo in lectulo inferiore sedebat. & Cicero pro Mur. atq; ille strauit lectulos, exposuit vasa Samia. & Suetonius in August. à cæna in lecticulam se lucubratoriam recipiebat. cum interea de lectica dixerit Iuuenalis, Ezech. Plutarc. Cicer. Sueton.

Nanq; facit somnum clausa lectica fenestra. Iuuen.

Habetur & apud Liuium Romanæ historiæ libro 5. quòd in Veiorum obsidione illa, peste insanabili sub orta, libri Sybillini aditi sunt, duum viri sacris faciundis: lectisternia tunc primùm in vrbe Romana facta per dies octo Apollinem, Latonamq;, & Dianam, Herculem, Mercurium, atq; Neptunum tribus: quam amplißimè tum apparari poterat, stratis lectis placauere. Cæterùm omißis alijs innumeris auctoritatibus, cum sacrorum, cum ethnicorum hominũ, quas in hunc vsum poßem adducere, ea præcipua tantummodo uobis referã, quæ paßim retulit Athenæus, ille priscorum rituum, antiquarumq; lectionũ relator non minus, quam obseruator in opere illo pulcherrimo Cenarũ Sap. vbi de varijs gentiũ variarũ conuiuijs sermonẽ habet, vt ex ijs luce clarius dignoscatis hanc meam sententiam veram esse. nempe Antiquos promiscuè vsos fuisse & lectis, & sellis ad discumbendum, seseq; circa mensam accommodandum. T.Liu.

Primo

Athen. *Primo igitur in Carani Macedonis conuiuio sic scriptum comperi. Carano igitur nuptias in Macedonia parante, viginti viri ad illas accesserunt, quorum singulis argentea phiala cum primum sederunt fuit donata. in conuiuio Cotyis Regis Thracum habentur, dicunt enim has cænas elegantissimè fuisse paratas, siquidē purpurea stragula in foro etiā substrata fuerūt usq; ad vrsam. in cōuiuijs Atticis hæc ex Macrone.*

Macro. *Zonam, quam gaudens tulerat collaria ponit*
In lectum veniens Dracontia, magnanimo dum
Accūbit, mox sandaliū genus oē Dearū Deposuit.

Sed hic in eodem poemata superiùs dixerat,

Doctusq; alienæ accumbere mensæ.

Inferiùs autem ita subnectit.

Has coquus apposuit portans vbi multa sedebat
Attica turba frequens hominū, iunctæq; phalāges.

Adhæc in Laconibus conuiuijs ita comperi registratū.

Athen. *Pausanias lectos aureos, argenteosq; instratos videns, mensas argenteas, lautissimumq; cænæ apparatū, omnia præsentia est admiratus, & paulò inferiùs ait, posteaquā copidem, idest, cænā pararunt, scænas struūt priùs iuxta Deum, in quibus lecti fiunt ex folijs sylvarum, quos tapetibus sternunt, super quibus non ipsius solùm territorij decumbentibus incolis conuiuium præbent, verumetiam omnibus peregrinis hospitibus illuc accedentibus. item inferiùs legitur. lecti illis ita & magnitudine ornati magnificè, varietateq; egregiè, ut ex hospitibus nonnulli, qui accepti fuerant, cubitū supra puluinaria firmare vererentur. at verò tenuem*

lectum

lectum priùs non verentes, per totum conuentus spacium vbi cubitum semel firmassent consistebant. Sed & inferiùs legitur in hunc modum. sternebatur pentaclinium, at nunquam plus, quando vero nulla aderat legatio, triclinium, neq; mandatum per prægustatorem fiebat, quis primus sedeat, atq; accumbat. Porrò in Cretensibus cõuiuijs quid ex Pirgione Athenæus scripserit audite. Cretes sedentes comedunt aptè, cum quia orphanis nõ cocta in furno apponuntur, tum quia hic iuniores stantes ministrant, tum etiam quoniã cũ laudibus Deis libantes omnibus præsentia impertiuntur. Distribuunt filijs etiam in sellis patrum sedentibus dimidium eius, quod viris appositum est, aderant & peregrinæ sellæ, & quæ sequuntur. De Persarum conuiuijs post multa inquit Athenæus. Atq; quando cænabant, & Rex ipse solus, & conuiuæ, hos quispiã ex Eunuchis aduocare solet, qui, cum venerint, vnà cum illo bibunt, at nõ tamen etiam idem vinum, hiq; humi sedentes, ille in toro pedes aureos habẽti accumbit. mox cum Ebrij fuerint discedunt. Sæpius Rex solus & prandet, & cænat, quamuis aliquando vnà mulier cænet, et nonnulli filiorum. in cæna Ægyptia, quã Cleopatra Antonino præparauit, habetur. Hæc cum triclinia duodecim statuisset, Antonium cum his quos voluit Cleopatra conuocauit, & inferiùs, at torum, in quo quisq; ducum consederat, & calices, sicut etiam sellas omnibus distribuit, afferriq; iussit, atque alibi legitur, Temperatum sanè cõuiuiorũ genus apud Ægyptios antiquitùs fuisse declaratur, veluti Apollonius

Idem ex Pirg.

Athen.

Apol.

lonius ait, qui de his rebus scripsit. Nam comedebant sedentes, frugalissimis, saluberrimisq; dapibus vtentes: tantumq; vini sumebant, quantum animorum tranquillitati ei sufficeret. Postmodum in cæna Arcadica Auctor subnotauit. Magnificum, opiparumq; cõuiuium celebratur, omnesq; conuitantur cum seruis, at pueri nudi in conuiuijs super lapidibus apud Patres eorum sedentes cænabant. in cænis Naucratitarum conuiuas in genua recumbentes inuenio compotasse. sicuti in Ægyptijs ad finem capitis scriptum est, Tertia cænarum ratio est apud Ægyptios non positis mēsis, at lancibus circumlatis. Porrò de cænis Thracum habemus. cum omnes ad cænam accessissent, quæ in circulo sedentibus erat parata, (sicuti nobis apud Burchelatum hodie contigit) omnibus tripodes continuò illati fuerunt, & quæ sequuntur. Adhæc de Celtarũ

Athen. *cæna Athenæus subscribit: Celtæ choas apponũt fænum subijcientes super ligneis mensis paulùm à terra elatis, &c. tum subdit, cum verò plures simul cænant circularibus mensis vtuntur, medius est optimus, ac fortissimus, veluti chori totius Princeps, qui alios vel rerum bellicarum experientia, vel generis nobilitate, vel diuitiarum splendore antecellat: at qui proximi ex vtraq; parte illi assident, ex virtutis, ac reliquarum rerum præstantium excellentia locũ hũc consequuntur. Armigeri scuta ferentes à tergo assistunt, stipatoresq; coràm circulatim sedentes, veluti domini, & ipsi conuiuantur. iam ad finem propero, audiatis etiam quædam de Parthorum cæna. Qui*

amicus

amicus dicitur, mensa quidem non utitur communi, at humi subsidet Regi in sublimi toro accumbenti, atque more canũ ijs vescitur, quæ ab ipso Rege proijciuntur. tum postea. Mos est apud Parthos, vt in cænis Rex thronum, in quo solus sedet, alijs & sublimiorem habeat, & separatum, mensaq; soli ponatur barbaricis epulis iacentibus onusta. postremò ait. cũ circiter mille milites ad cænam conuocaßet, discumbere fecit eos humi sub dio, quæ cæna erat magnus panis, & caro. De Tyrrhenorum autem, atq; Indorum cænis ita prosequitur. inualuit apud Tyrrhenos huiusmodi consuetudo, vt singulis diebus bis mensæ lautißimæ parentur, lectiq; floridi, & varia pocula argentea, &c. Germani vero prandium habent carnes membratim assatas, & lac, vinumq; bibunt non mistum, ueluti Possidonius lib. 30. attestatur. Possid. *Hæc ex Athenæo exẽpla de comedendi ritu variarum gentium referre volui, vt facile, viri amici, dignosceretis veteres diuersorũ sæculorum, variarumq; regionum & pransos fuiße, & cænasse, modò in sellis residentes, modo in lectulis recubantes, interdum humi, quandoq; super stragula, super fænumq; discumbentes, vt nulla certa ratio valeat præfinire priscos homines, neq; dum maiorem illorum partem, in lectis positos cænitasse.*

GE. *Addamus, & alterum, quòd Ioannes Rauisius in sua officina litteris comendauit, vt etiam in scamnis, in toris, seu lectis huiusmodi promiscua acceptio faciliùs elucescat, inquit ille; Subselliorum vocabula sunt tripodes, stratum, hemicyclum, trochus, ex-* Io. Rau Text.

N hedra,

hedra, lectica, cathedra, hypodion, torus, segestra, scabellum, vel, vt alij malunt, scamellum, silicastrum,
Au.Gel. sella, bisellium, scimpodium, Gellius Græciense uocat, quòd frequens fuerit in Græcia: offendimus, inquit, Frontonem Cornelium in Scimpodio Græciensi cubantem, cum pedes grauiter ægrotaret: erant et stibadia, tori humi iacentes, & lignis, ramisúe structi, accubita, & accubitæ sedilia sunt accumbentium, vt etiam
Virg. sponda apud Virgilium: addo & anaclinterium apud
Cæl. Rh. Cælium Rhodiginum. & quòd κλισμός ab Auctore Lexici Græci interpretatur sedes, lecticæ genus. &
Lexicō. quòd ipsi lecti pro sedibus habiti, cum dixerit Mart.
Mart. Sternantur lecti, Cæciliani sede.

FE. Accipiatis & illud postremum omniū, quod
Pet.Ber. adnotauit Petrus Berchorius in eius Dictionario (vt etiam quid sit cæna, atque vnde dicta sit habeamus) inquit ille, cæna dicitur à κοινον quod est commune, et antiqui solebant cænare in propatulo, & communi,
Nic. Pe. (quod dixit & Sypontinus) ne singularitas luxuriā generaret. modo verò potest dici à σκια, quod est vmbra, quia iam propter parcitatem vescentes latibula sibi quærūt: vel potest dici à κυνός, quod est canis, quia iam more canis homines in cænis suis sunt gulosi, & nullum præter se ibidem videre uolunt: sed & alterū notat. s. quòd cæna idem est, quod conuiuium, prandiū, vel refectio corporalis, & potissimè illa quæ fit in sero, quam inquam refectionem Alexander Magnus reputauit non ingluuiem, seu luxum, quando Adæ coquos reiecit, meliores inquiens se obsoniorū habere conditores,

ditores, nocturnum iter ad prandij, & huius exilitatẽ ad cænæ suauitatem. Hæc habui, quæ vobis adducerem in proposita quæstione conuiuæ æque, ac collegæ nobiles, non quidem ad ostentationem dicta, quandoquidem plura scriptorũ plurium testimonia producere potuissem, quod uos haudquaquam imaginor præterire: sed ut munus obirem meum, uobisq; in quibus valeo, morem gererem. si modò hos sermones nostros, veluti corniculam illam aliquis reputabit, de qua Horatius,

Ne, si fortè suas repetitum uenerit olim Horat.
Grex auium plumas, moueat cornicula risum ex Aeso.
Furtiuis nudata coloribus.

Respondebo cum Comico, nihil esse dictum, quod non Terent.
dictum sit priùs, nihilq; nouum sub sole cum Sapiente Salomõ.
dicam: imò magis ex consulto nos ita locutos esse, non quidem illa nostrûm propria reputando, mihi etenim furti species uideretur ex alienis laboribus libare laudem, sed singulis sua ipsorum propria adiudicando, illis tanquam assertorum a nobis, ueridicis testimonijs usi sumus. hoc autem habetote, nisi nos hac nostra disputatione accubitus rationes prorsus fuerimus exequuti, saltem loca plurima præmonstrantes ansam philosophari volentibus præbuisse, vt inde decisiones aliquando valeant producere clariores. Interim, amici optimi, satagamus, vt certam nostram facientes uocationem illud audire à Deo Opt. Max. mereamur. Venite, sedete ad paratã vobis mensam in regno meo.

Finis Quæstionis de accubitu.

QVÆSTIO SECVNDA.
De Vino refrigerando.

QVIN.



Aturam nobis tribuiſſe potus æquè, ac cibi neceſsitatē, viri Clariſsimi, in diſputationem non traham: quandoquidē ſatis ſuperq; receptum eſt, perinde atq; experientia comprobatum, nos illo indigere, illo vti, ac ſine illo neutiquam vitam poſſe traducere longiorem. imò ſine cibo potius hominem uiuere, quam ſine potu; hinc eſt quòd dixit Hippocr. faciliùs potu refici homines, quam cibo, quinimò & per potū famē conciliari, dum ait, Famem torexis ſoluit, quod eſt meri potio, vt interpretatur Gal. ſed & potu magis quam cibo nos delectari certum eſt, veluti qui bibendo potius, quā manducando uitam fuimus exorditi, dum ſ. à nutrice lac ſuggimus, & liquidioribus primùm cibis aſſueuimus. Cæterùm potū ratione ſitis, ſicuti cibū ratione famis abſq; dubio adminiſtramus: quid autem aliud eſt ſitis? niſi appetitus frigidi, et humidi, vt aſſerit omnis ſchola; potus igitur erit rei frigidæ, & humidæ deglutitio, hinc eſt quòd iura minus auidè ſumimus, utpotè quæ calida exiſtunt: frigidam autem, atq; humidam potionē, dummodo ſapor ſapiat, eſſe ſitienti gratiſsimam non eſt dubitandum; & ne veſtrū aliquis aliquam mihi dubitationem promoueat aſſerens, calidum, aut frigidum poſſe intelligi duplici modo, actu. ſ. & potentia: et ob id num actu frigidus, & hu-

Hippoc. Galenus

& humidus, an potentia potus intelligatur: assero potũ quidem esse rei liquidæ, quacunq; illa fuerit qualitate prædita, calida nempe, frigida, aut tepida: gratũ autem potum, ac sitienti consonum magis esse actu frigidum, & humidum: utilem autem potentia calidum: cum nullo magis indigeat natura nostra, quàm calido, & humido. certum est etenim tum ex alijs, tum ex Auic. cap. de humoribus, humidum radicale, quo natura nostra compacta est, calidum esse, illudq; continuè deperdi, consumi, ac depauperari: naturam autem deperditum humidum, ut meliùs potest, reficere ex cibarijs, ac potionibus in vẽtriculo in chylum, tum in chymum redditis, & reiectis grauioribus superfluitatibus ad intestina, & ad vreteres exteriùs uti nocuis profundendis, vtile illud humidum per uenas attrahere, atq; ita partes collabẽtes reficere, restituere, ac recreare: quapropter calido, et humido actu quidem naturã nostrã introrsum indigere iam statuamus: & tametsi frigidißimis potibus vteremur, siue actu, siue potẽtia intelligamus, nunquã nutriremur, nisi potus hmõdi in ventriculo alterarentur, & calidi redderentur, vita nanq; ut iam dictus auctor referebat, existit per caliditatem, & augmentum per humiditatẽ; iam uerò cũ sitis sit frigidi, & humidi desideriũ, uideamus primò nunquid hoc frigidũ, & humidũ, quo sitis est placitãda, debeat esse aqua, vel uinum, uel succus aliquis, uel etiam esus fructuum; ac subinde nunquid æstatis tẽpore diluendum sit vinum, aut potius extrinsecus ex arte refrigerandum.

Auicen.

Auicen.

BAL.

BAL. *Vir ingenioſe, & Ego in hanc, quam tibi tantùm fortaſse diſputationem ſoluendam proponis, ingredi uolo, aſſerens verum potum eſſe debere aquam, non autem ſuccum aliquem, & inter ſuccos uinum, et expreſſiones omnes nūc computo, vtpote quæ ex uuis, herbis, fructibus, atq; id genus alijs exprimātur: quod ut facilè cō probetur, rem hanc paulò altiùs repetamus. Corpora noſtra ex elementis cōſtare, igne. ſ. aere, aqua,* Ariſtot. *& terra, tum Ariſtoteles, tum omnes propemodum philoſophi affirmant, & quòd hoc ſit verum comprobant cum alijs rationibus, cum magis humorum natura conſiderata: etenim bilis flaua calida, & ſicca calido, & ſicco igni æmulatur: ſanguis calidus, & humidus calido, ac humido aeri: pituita & omniū neruorum genus, cum ſint frigida, & humida aquæ cōparātur: ac poſtremo atrabilis frigida, et ſicca frigidæ, & ſiccæ terræ aſſimilatur; quinimò philoſophi aſtruūt corpora noſtra morte præuenta in eademmet elementa tranſire, adeo vt ſit hoc perpetuum vinculum corporis noſtri cum elementis: Porrò eſt & alterū dogma inter Philoſophos, ut optimè noſtis, nempe quòd ex ijs nutrimur ex quibus conſtamus, & è contra, ex ijs cōſtamus ex quibus nutrimur: propterea cum iam fuerit ſtatutum nos ex elementis conſtare ſtatuendum itidē erit, nos ex ijſdem nutriri, quocirca, quod ad potū ſpectat, qui quidem ſui natura eſt frigidus, & humidus iuxta ſitis exigentiam, non ignem, non aerem, non terram, ſed aquam ſui natura frigidam & humidā eſſe huiuſmodi potum uidetur non eſſe ampliùs dubitandū,*

imò

imò est aquæ potus tanquã necessarius acceptandus ad temperamentum, colligantiamq; ebullientium humorum in corpore conseruandam.

FE. *Vtcunq; fuerit, ò Amice, de re hac, Ego tibi semper aquam relinquam, et fontes, meq; ad dulces Lyæi latices conferam: & ne ab hac disputatione recedam uacuus, tibi breuibus respondebo, aquam minimè prorsus esse ueram potationem, nostroq; corpori necessariã, vtpote quæ non nutriat, veluti statuit Gal. 4. de vsu partium primo dum asserit, aqua nulla particula nutriri potest: quod & lib. de victus ratione in acutis, & lib. de bonitate aquæ confirmat; & Cardanus lib. 5. de subtilitate subscribit, et forsan cæteri omnes; propterea aquam bibentes vel sudant plurimùm, vel mingunt plurimùm.* Galenus Hieron. Carda.

AP. *Ego autem non ita subitò in tuam curro sententiam, ò Federici, quandoquidem memini me legisse apud Galenum lib. de Anotomia viuorum huiusmodi explicatissima uerba. & dico quòd aqua est ad nutrimentũ corporis, aer uerò ad nutrimentum spiritus, et unumquodq; duorum. s. nutrimenti corporis, & spiritus, est corpus compositum, & non simplex.* Galenus

BAL. *Rectè sanè, tametsi liber ille non censeatur Galeni, sed alterius nihilominus magni viri, nempe aquam esse nutrimentũ corporis, ueluti cibum, et alia, non quidem aquam simplicem, simplexq; elementũ, quæ sanè nusquam gentium reperitur, sed, ut dicebat ille auctor, eatenus nutrit, quatenus est corpus compositum, & non simplex, perinde atq; compositum est* Galeno adscri.

corpus

corpus nostrum; iam verò aquam esse verum potum humani corporis affirmare liceat ex regionibus integris, in quibus vinum nec habetur, nec noscitur, ueluti in mõtibus, in magna Germaniæ parte, in Æthyopia, quibus in locis vini vsus penitus ignoratur, & nihilominus ibi etiam homines robustissimi, bellicosi, feroces, ac rubicundi; ad hæc Turcæ, qui sunt in maximo numero, & bellatores indefessi absq; vini potu uitam traducunt, illiq; antiqui Sancti Patres sola aqua epota vitam vltra annos centenarios producebant: et apud nos quotnã sunt abstemij, qui nihilominus aqua, & cibis tantummodo nutriuntur, & facie sunt præditi rubicunda?

In Vitis Patrum

QV. *Eousq; rem produxistis vestrûm ingeniorũ subtilitate, viri doctissimi, ut fermè mihi omnem disputandi ansam surripueritis, eamq; quam primò proposui dissoluendam dubitationem, è medio sustuleritis: nanq; si statuatis aquam esse debere nostram potationem, non amplius esset disputandum, nunquid uinum sit diluendum, an potius detinendum in aqua, æstiuo præsertim tempore, vt refrigeretur, & hac ratione feruor corporis nostri cõtemperetur: propterea ut ad meã faciliùs deueniam disputationem relinquens aquã brutis animalibus. veluti in Thesauro sanitatis est registratum, & à nobis aliàs memoratum.*

Castor. Duran.

Vina bibant homines, animalia cætera fontes,
Absit ab humano pectore potus aquæ,

Et ijs etiam, qui tanto carent precioso liquore, quantũ est uinum, atq; etiam abstemijs, qui proprietate quadã

occulta

occulta vinum aspernantur, dico, & statuo vinum ipsum esse debere hominis potum, quod vsu, & experientia est comprobatum: nec aquam potat aliquis nisi inuitus, aut coactus, vti quæ aduersetur naturæ suæ; & certè nonne scimus post hominum renouationem, sanè post Diluuium Noë plantasse vineam, & bibisse, atq; exinde cõtinuè vinum exstitisse hominis solummodo potum, vt cæteris animantibus ratione carentibus aqua subinde pro potu relicta sit. His igitur stantibus, cum æstatis tempore summopere æstuemus, vt calor nostri corporis modificetur, uiresq; ob caloris immoderantiam labefactatæ refocillentur, nullo alio magis, quàm uino actu frigido (ni fallor) id possumus obtinere: reficit enim vinum & facilè, vt dicebat Hippocrates, ac subinde frigiditate actuali calorem corporis moderatur: cum autem & ipsum vinum anni tẽporis caliditatem persentiat, sæpius actu tepidum degustatur, tuncq; fit ingrata potio, & (vt dixit ille, cũ nec calidus sis, nec frigidus, sed tepidus, ideo te euomam) nauseam potius excitat, quàm ex illo appetitui frigidi, & humidi satisfiat. vt autem illi frigiditas actualis incutiatur, inuratur, præstetur, uasa Lyæo plena vel infra gelidissimam glaciem ponimus, aut infra niuem seu contrà, vel in puteos demittimus, uel infra urnas aqua plenas, seu vas quodcunq; aliud refrigeratoriũ reponimus phyalas: siue postremò cura minima, labore nullo illi aquã in phyala, aut in cyatho permiscemus, uel etiã postquã aliqua arte exterius refrigeratũ sit vinum, adhuc etiam illi addimus aquã; quisnàm

Genesis. cap. 9.

Hippoc.

D. Iac.

O autem

autem ex his modis vinum refrigerando nobis conducat in præsentia disputemus.

GE. *Ego, vt in hac re liberè dicam quid sentiam, dixerim nequaquam aquam vino eße permiscendã cum absq; ea vinum actu frigidũ ritè obtinere poßimus, illud vel in puteis detinendo, vel in niue, uel etiam phyalam in aquæ vrnulam, seu in refrigeratorium demittendo, nulla tunc etenim nino aquæ substãtia permiscetur, alioquin cresceret ac efflueret, atque ideo aquæ substantia non offendet: sicq; appetitui frigidi, & humidi actualiter satisfiet.*

BAL. *Neq; tam citò, neq; tam facilè crediderim disputationem hanc terminari: sed priùs audiendum, quæ dixerit Gal. in lib. de Cibis boni, & mali succi: dicebat enim Galenus solis ijs, qui fuerint laboribus defatigati potus perfrigeratos æstate dari oportere, vt hoc pacto calori, & siccitati, quibus in laboribus affecti fuerant, succurratur: & alibi clariùs ait. s. homini temperatura calidißima prædito, uel naturali, vel ex ætate, vtiliùs aqua bibitur, quàm vinum: ut exinde lucidè appareat ciuili homini rectè instituto, quique, ut idem Galenus dicebat secundo illo cap. eiusdem lib. de Succorum bonitate & vitio, quietioris uitæ institutũ ingressus sit, nec cogatur priusquam lucescat visitare potentium limina, nec postquam crebrò sudarit, operibus necessarijs factitandis refrigescere, neq; aliquibus dum lauantur aßistere, neq; alios, cum se domum iterum conferunt, reducere, ipsum postea ingenti festinatione lotum cœnatum properare, huic inquam uiro politico*

Galenus

litico nec uinum eſſe perfrigerandum, nec aquam illi pariter permiſcendum. Qui igitur huiuſmodi negotijs uacui, ſolutiq; ſunt (ueluti etiam placuit Marco Oldouino Medico conuiui noſtro in quadam eius quæſtione ad Iulianum Maroſticam æque Medicum, ac conciuem Patrem illius Vincentij perſpicaciſsimi ingenij noſtri ſæculi) ij inquam quàm rariſsimè frigido egent potu: cum uir moderatus, ac prudens in magnis æſtibus alium ſit adhibiturus modũ ad refrigerandã, humectandamq; corporis caliditatem, & ſiccitatem; balneis enim aquæ dulcis, aeris alteratione, ſeu migratione, lactuca, piſcibus, cucurbita, maluis, atque ipſius etiam ptiſanæ cremore frigido, & alicæ commodiùs ſeſe refrigerabit, poſthabitis horealibus fructibus, ac potu aqua fontana perfrigerato: neq; ullo modo dũ prandet, aut cænat uinum in niue, glacie, puteo, aut in frigidiſsima aqua fontana detineri patietur, quod ſine vllo diſcrimine noſtris tẽporibus fere ab omnibus, qui urbanè uiuunt, fieri cernimus, idq; etiam collaudãtibus eorum medicis, cum nihilominus fuerit Hippocratis ſententia lib. 2. acutorum, atq; ibidem Galeni, tùm et lib. de ſimpl. med. fac. primo c. 29. & 7. meth. cur. c. 5. quinetiã Ariſtotelis 3. problem. partic. Auicenæ 3. primi, & aliorum plurium, vinum dilutum in præcordijs diutiùs morari, ventris robur exoluere, flatuoſitates excitare, cerebro, uiſceribus imbecillibus obeſſe, uelociter inebriare, ſudorem prouocare, ad hæc ſomnum inducere, ſitim tamen ſedare magis, quam uinũ meracũ faciat, aut aqua pura: & robuſtis, car-

Marcus Oldou.

Vincen. Maroſt.

Hippoc.

Galenus

Ariſtot.

Auic.

nosis, laboriosisq; conuenire. quapropter libenter in præsentia audirem quid in hac re sentiat noster doctissimus Federicus.

FE. *Ego vtique (vt interea omittam quicquid de vini temperatura, longiori non minus, quàm doctiori oratione dixerit excell. Fracastorius, ueluti & Andræas Baccius lib. illo de Thermis, & alij multi) non grauatè sententiã meã proferam, quã sanè vestrũ prudentissimis iudicijs moderãdam, mutandamúe libenter subijciam. omnes ferme hoĩes calidissimo æstatis tpe æstuare, exsiccari eorũ fauces, eos sitire certum est: à calido etenim tũ intrinseco tum extrinseco uno quidem ex altero depẽdente rarefiunt corpora nostra, meatus aperiuntur, ac pori, fiunt inquam perspirabilia, quapropter facile vtplurimum sudant, vt exinde viscera alioqui humore prædita exsiccentur, et attrahant ab alijs humidum, nempe à iecore, à mesereo, ab intestinis, à vẽtriculo, qui cum humore priuus existat, ac propterea ipse & arescat, & calefiat, appetit ore suo, quod æsophagum uocamus, illud quo caret, frigidũ nempe, & humidum: cui quidem nobis illud præstantibus satisfit, ipsiusque, tum aliorum uiscerum indigentiæ subuenitur: frigidum igitur potum, atq; humidum desiderari, & præstitum sitim sedare iam certum est: hactenus igitur videretur aquam ipsam sufficere, cũ sit frigidorum, atq; humidorum frigidissimum perinde, ac humidissimum; nihilominus in illa corporis euaporatione, ac siccitate languescunt viscera, ac debilia redduntur, propterea & cibum conuenit exhibere cũ*

potu.

potu. Cæterùm aqua tantum abest ut nutriat, ut potius nutritionem impediat: sua nanq; naturali frigiditate ventriculum natura frigidum percellit, offenditq;, ac cruditates efficit multas, multaq; subinde excrementa: Erit igitur potus uinum. inter uina autem non modica est differentia, alia nanq; sunt crassa, & rubra, quæ sanè calida sunt, & multum nutriunt, alia alba, et tenuia, quæ quidē, ut dicit Gal. 2. aph. 11. quemadmodum colore aquam referunt, sic nutriendi uirtute ab aqua parum differunt: inter hæc autem media medias habent qualitates, ac vires; quod igitur spectat ad frigiditatē, circa quam tota versatur quæstio, non quidem circa humiditatem, cum æque humidum sit vinum ac fluidum, quemadmodum aqua: dicerem Ego æstatis tempore optimum esse vinum, quod scriptores oligophoron, seu pauciferum vocant, in quo sanè vel plurimum aquæ ebullierit, vel eius vires natura fuerint admodum imbecillæ, ut quod minimā aquæ permistionem sustineat, veluti de eo scripsit Gal. in locis pluribus, idq; vinum sit loco frigido collocatū, vtq; de dolio statim sumptum, ac haustum, nulla proinde conquisita niue, seu glacie, nullo puteo, cisterna, aut fonte: nec quidem vlla aqua ad vinum in eam, aut eam in vinum imponendum. tale etenim vinum ea omnia præstare potest, quibus æstatis tempore nos indigemus: ipsum enim humectabit viscera, eorumq; excedentem calorem, nō quidem ut aqua destruet, sed remittet, facile permeabit, uentriculum non lædet, nec caput replebit, quemadmodum fulua, quæ potentia

Galenus

Galenus 7. meth. c. 6. & 8. libro de Succ. bo. & alibi.

calida

calida sunt, & fumosa, nec reliqua vlterius viscera natura calida ad inflammationem, aut erisipelam, aut ad aliquem adducet abscessum, idq; tametsi parũ nutriat, proinde cibis, ac alimentis alijs relicta nutriẽdi uicissitudine nutritionem non tamen impediet, nec cruditates propterea generabit. ad hæc uinum huiusmodi moderatè bibitum nutritioni confert, cõcoctioni, digestioni, sanguinis generationi: ueluti Galenus sæpius referebat; præterea ingenium clarificat, animam dilatat, spiritum roborat, cor lætificat, quemadmodum Auicenna, Isaac, Hali Abbas, & alij passim declarauerunt: quinetiam flatuositates expellit, urinam cit, colorem naturalem auget, conualescentes impinguat, appetitum excitat, sudores prouocat, sanguinem turbidum clarificat, obstructiones aperit, alimenta defert in uniuersum corpus, pituitam incidit, plumbeum colorem rectificat, corporis excretiones pellit. contrarias autem è conuerso operationes à largiore meri potu, peioresq; prouenire certum est, eò magis quò potentius illud, ac generosius fuerit. sed hæc oĩa accuratius apud Iacobum Vuecherũ in Syntaxi medica pertractãtur.

Galenus · *Auicen.* *Isaac.* *Hali Ab.* *Syntax. Med.*

CAL. *Optimam partem Federicius noster elegit, ac studiosè tutatus est, cui quidem ego omnibus votis assentior. nihilominus quæstionis scopus, & apex est, nunquid satius sit uinum extrinsecus refrigerare, an illi aquam intrinsecus permiscere: cum non omnibus præstò sint uina elegantia, ac paucifera: neq; omni palato huiusmodi sapiant semiuina.*

BVR. *Quasi niuis ratio in modico uobis sit precio.*

Quo-

Quocirca mementote & aere, & nitro, & glacie, & niue, & forsitan alio modo uinum posse, quinimò consueuisse refrigerari. an uos prætereunt ea, quæ retulit Nicolaus Monardes Medicus Hyspanus longiori inquam oratione, illaq; ex professo in eo libello, cui titulus est de Niue? ille sermonem facit adeo diffusum, adeo clarum, ac ordinatum, vt nemo non intelligat & uarios niuis vsus, ac glaciei, & quibus in locis, et quibus temporibus, quibusq; auctoribus niuis præsertim vsus fuerit comprobatus; ex quibus capitulis illud concludi potest, Monardem omnes alios modos uini refrigerandi, siue sint uasis dimissis in puteos, siue glacie in uinũ proiecta, seu mauis nitro, quod est nautarum, seu alio quocunq; modo nisi damnare, saltem postponere niuis usui: cuius quidem libelli ultimum caput, quod est Epilogus, tametsi Hyspana lingua, tũ Itala nunc legatur, liceat mihi latinum reddere, & recitare, illud etenim audire, spero, non esse futurum inutile, aut iniucundũ, en, auscultate. Ex dictis hucusq; apparet, quid sit nix, & quantum ipsius usus ad refrigerandum apud antiquos fuerit celebratus, & quatenus melior refrigerandi modus, nostræ sanitati, ac necessitati sit congruentior ille, qui ex niue conficitur, & pariter quemadmodum potatio frigida tot afferat beneficia, atque vtilitates, calida vero tot mala, damnaq; tanta: hæc etenim debilitat, fessumq; reddit stomachum, facit in eo cibum enatare, digestionem corrumpit, unde corpus conficitur, ac debilitat, ventositates generat, Epaticis debilitatem, ac lassitudinem causatur, sitim continuã producit,

Nicol. Monar.

cap. vlt.

producit, nostræ necessitati nõ satisfacit, nocumentum affert, tristitiam, & alia damna, quæ quidem facilè à seipso cognoscet ille, qui calida vtetur potatione; cæterùm illis, qui potant frigidum, siue illud sit à natura, siue sit niue refrigeratũ, contrarium prorsus contingit: siquidem confortat stomachum, & si relaxatus fuerit, ac debilis, illum firmat, ac roborat, prohibet fluxum, humorumq; calidorum ad illum deriuationes: quapropter impedit fluxiones, vomitusq; cholericos: quatuor virtutes omnes confortat, sitim aufert, excitat comedendi appetitum, meliorem facit digestionem, minus bibitur, maioriq; voluptate, ac gaudio, cum magis nobis satisfaciat parum frigidæ potationis, quàm faciat multa alterius generis: ijs qui calida sunt cõplexione prohibet calculum, ebrietatem impedit, temperat calidum hepar, incendium, ignemq; remittit illis, qui sunt maximè calidi, aut quacunq; de causa inflãmati: excessiuum æstatis calorem temperat, præseruat à peste, & si super cibo sumatur, naturali calori vim immittit, qua suam digestionẽ, ac operationem faciat meliorem: acutos dolores, qui à causa calida proueniũt aufert, leuat tremorem cordis, lætificat melancholicos, vino furiam, fumumq; tollit, fructus in niue positi à corruptione seruantur, ac illis propterea vescimur delicatis: quæ omnia nec lingua aliqua potest referre, nec humanus intellectus comprehendere potis est. Porrò illi, qui liberè possunt frigidum bibere, ac niue refrigeratum, sunt, qui complexione sunt præditi temperata, & carnosi, & biliosi, calidi, ac inflammati, qui calidũ

habent

habent hepar, atq; ventriculum, sanguinei, qui exercentur, ac multum laborant, homines multæ negociationis: Ciuitatum, Rerumq; pub. Gubernatores, et qui talium negotiorũ, laborumq; participes fiunt: qui exercitantur, studentq; militaribus exercitijs, alijsq; magnis laboribus, qui multum ambulant, ac laborant: qui patiuntur ardentes febres, & morbos calidos valde, & accensiones, & super omnibus ij, qui huiusmodi frigidæ potationi consueuerunt: Quocirca quilibet potet frigidũ, aut frigidißimũ queadmodũ neceßitas exiget, atq; illi magis conueniet. illi autem, quibus multũ frigidum, aut frigidißimum potare non expedit, sunt valde senes, illi qui bibunt ociosi, absq; exercitio, absq; negocijs, illi qui habent in ventriculo cruditates, quas humores frigidi fuerint causati, illi qui sunt infirmi pectoris, illi qui patiuntur morbos articulares, illi, qui digerere nequeunt, illi, qui pp humores, causasq; frigidas comedunt, illi, qui multas patiuntur ventositates, pueruli, et qui tenera ætate sunt præditi, ac demũ alij, quos temporis opportunitas, ac vsus huiusmodi docuit indigentiam. Sic terminat Monardes tractatum niuis, quibus ferme omnibus itidẽ terminat Balthaßar Pisanellus Med. Bonon. illum tractatum Italum ciborum, & potus. intellexistis. Nicol. Monar. Balthas. Pisanel.

FE. *Ego uerborum Calciæ non immemor pariter ac tuorum, ò Burchelate, cum ingenuis uiris loquens, ac temperatis, talibus me normam nunc perscripturũ putaui: si modò simus de intemperatis hominibus locuturi, qualem amabò quæstioni terminũ statuemus?*

qualem canonem ? cum ipsi nullam regulam, nullum terminum appetitui proprio unquam præscribant: propterea non ab re fuerit audire Galenum libro illo de Succorum bonitate, ac uitio sic dicentem, Neq; unus tamen sit unicuiq; refrigerantis cibi, potusq; modus; qui quidem niue uti consueuerunt, hac ipsa refrigerat ante, qui uerò fontana eadem hac recenti aqua vtuntur, nulla niuis necessitate. sit porrò dilutum quoq; uinum ad hunc modum ante refrigeratum, sic nanque vocare medici solent uina antea gelidissima aqua refrigerata, vase videlicet, quo vinũ continetur aquæ indito. Atque hæc ego ijs consulo, qui uitam negotijs plenam degunt, cuiusmodi sunt, qui gentibus, ac ciuitatibus regendis præsunt, horumq; in primis ministri: nec sanè minus qui militiam exercent, aut iter longinquum ingrediuntur. At, quicunq; negotijs his soluti degunt, ijs, si quidem, vt soliti sunt, se exerceant, perquàm rarò frigidæ vsus necessarius fuerit: quòd si non exerceant, ac caloris multum persentiant æstate uigẽte tutò ij fontanam biberint repudiata niue. Nam, tametsi ipsa statim nix noxa sensibili nõ videatur iuuenum corporibus officere, increscente tamen temporis processu occultò paulatim noxa, uergente nempe ætate, articuli his, neruiq;, ac viscera morbis corripiuntur, vix, aut nunquam sanandis: ac verisimile certè sit, vt vnicuiq; ea potissimũ corporis pars afficiatur, quæ natura omnium maximè infirma fuerit. quæ sanè uerba si rectiùs perpendãtur, gulæ insolentiæ, ac appetitui homines modum statuent, ac seruabunt.

Galenus cap. 13.

QV.

QV. *Federicius, vti video, mihi, qui hanc proposuerim quæstionem, voluit locũ relinquere, vt nunquid aqua uino sit infundenda, an exterius uinum refrigerandum ijs, qui frigido vino gaudent, in præsentia dicam quid sentiam. Quocirca cum vtrunque sit malum, & proinde utroq; modo corpus nostrum lædatur, de duobus malis, iuxta illam uulgatam sententiã, minus est eligendum. iam verò frigidum corpori nostro noxam inferre decretum, ac certum est, tum experientia, tum dicente Hippocrate 5. aph. 17. frigidũ convulsiones, tetanos, nigrores, et rigores febriles affert: tum 18. frigidum inimicum oßibus, dentibus, neruis, cerebro, dorsali medullæ: calidum verò amicum: cum autem vẽtriculi ipsius seu stomaci textura neruea sit, imò vniuersa intestina, quorum hic caput est, frigida sint, atq; humida, quantum a frigido offendantur indicio sint & potus aquæ, & vsus niuis, & glaciei, et vel ipsum etiam frigus pedum ad intestina per neruos delatum, quantò igitur frigidior erit potus, tantò maior ventriculo, ac vniuerso corpori inferetur offensa: propterea magis offendet vinum, quod longiorem in aqua moram, aut in fonte traduxerit, adeo vt gelidum euaserit, quàm quod modicum aquæ frigidæ permistum habuerit; ac è conuerso maius incutiet nocumentum vinum multa gelida aqua dilutum, quàm illud quod per modicum temporis in frigidiori loco aliquo detentum fuerit. nocumenta autem, quæ à vino maxime refrigerato, perinde atq; ab aqua frigidissima solent vtplurimum prouenire, audite. primò hæc* Hippoc.

neruis maxime nocent, cerebro, pulmoni, pectori, uentriculo, intestinis, hepati, spleni, renibus, vesicæ, vtero, ac dentibus : adhac venereas flammas extinguunt, neruorum resolutiones progignunt, frigidos procreant morbos, & id genus alia incommoda causantur; quapropter in summis æstibus in vino refrigerando si modus erit, ac modulus, tum & in potando cum alimentis proportio debita, non ab re fuerit uel ipsi vino aquæ portionem aliquam permiscere, vel ipsum per tempus modicum ex arte refrigerare, præsertim ijs, qui laboribus, aut incommodis distinentur: non quidem alio anni tempore, quàm æstate, cum & calidus ambiens aër ipsum etiam uinum effecerit actu tepidum, ac proinde gustui ingratum. quòd si adhuc aliquis quærat nunquid datis paribus adeo, vt tantisper frigidum sit vinum dilutum, atq; refrigeratum, istud, an illud fuerit omittendum, dixerim, satiùs esse vino aquæ modicum permiscere ; nam aqua facile permeat, & est quasi vini uehiculum ad viscera confortanda: quæ quidem aquam ipsam uti inutilem natura docente propellunt, atq; ea per lotium plurimum, tum per sudorem, perq; alia excremẽta exterius profligatur: uinum autẽ niue, seu aliter frigefactũ remittit, ac deperdit in tota eius substantia vires suas, ac veluti recrudescit, & eius actio, eius concoctio, eius penetratio aliquo veluti freno addito continuè retardatur : quòd si minùs frigidum ex arte potetur vinum, quàm cum ei aqua fuerit permista, fortasse minorem, aut nullam inferet noxam, uti illud, quod nihil de eius naturali calore perdiderit,

sed

ſed de extraneo duntaxat, et nulla extranea ſubſtantia naturæ ſuæ contraria fuerit alteratum. Hæc, viri doctißimi, eſt ſententia mea, qua quidem ſi veſtrum ſubtilißimis ingenijs potiorem percæpero, eam uobis pol liceor me ſtatim fore commutaturum.

FE. *Nemo, ut cenſeo, noſtrûm eſt, qui tuæ ſententiæ protinus nõ accedat, propterea huic diſputationi huiuſmodi optimus finis iam ſtatuatur: Quòd ſi quis ulterius hac diſputatione excitatus ſcire cupiat, quæ in vini potu ſint obſeruanda, quibus vinum ſit, & nõ ſit concedendũ, qua ætate, quo tempore, quibus horis: præterea quæ ſint vini noui operationes, quæ veteris, quæ ætatis mediæ: adhæc quid vinũ odoriferum operetur, quid inodorum, quæ proinde ſint vini craßi nigri, aut rubei, aut ſub rubei, tum dulcis, tum auſteri, tũ turbidi differentiæ in operãdo, perinde atq; vini albi, aut flaui, modò id aquoſum fuerit, modò craſſum, modò auſterum, dulce, non dulce, tenue, medium, miſtum, & id genus alias differẽtias, ac operationes: hæc omnia quærat diligens indagator apud Galenũ quidem, & alios claßicos auctores, ſed ea comperiet facile ſumma breuitate, ac diligentia reſignata apud Iacobum Vuecherum in lib. illo, cui titulus eſt Medicæ Syntaxes, atq; hæc relata à nobis in præſentia ſatis ſunto.* Galenus Iacob. Vuech.

Finis Quæſt. de vino refrigerando.

QVÆSTIO TERTIA.
De Citri seminis qualitatibus.

GE.



ON semel sum miratus perinde, atq; admiratus (viri Excellentissimi) clarissimorum quorundam Medicorum difficultatem, eorum inquam, qui primas occupant sedes, circa citri seminis qualitates, calidam sanè, vel frigidam, quòd etenim siccum sit omnes consentiunt, cum aliqui ipsum frigidum statuant, alij verò id calidum esse contendant: Qua de re cum tantus sit huius seminis vsus in Medicina, præsertim occasione membri principis, quod est cor, nos operæ preciũ facturos existimaui, si hanc difficultatem vsq; ad viuum resecantes, nedum citri seminis facultatũ, sed & aliarum quarumcunq; ipsius partium virtutum scientiam consequemur.

CAL. *Non adeo nouam, Amice, difficultatem proponis, quandoquidem in Auicenna Medicorum Principe maxima est cõtradictio, quippe qui in lib. 2. magni Canonis Citri semen calidum esse verbis explicatissimis fateatur, in libello autem de viribus cordis ipsum frigidum vsq; ad tertium ordinem repræsentet, vt maximè ob id sit verendum: & in qua parte Auicennæ credere debeamus maximopere nobis sit pensitandum: videretur etenim standum esse primæ sententiæ, cui plurimi quidem assenserũt, nihilominus illi maior uidetur præstãda fides in altero libro, quippe* *Auicen.*

qui

qui illum posteriùs composuerit, & maturiùs, & forsitan diligentiùs; neq; credendum videtur in re tanti ponderis pertractanda. s. de medicinis Theriacalibus, & cordialibus tantum virum errasse, imò hanc esse prioris eius antea vulgatæ sententiæ correctionem, si regulæ illi credimus, ultima prioribus derogare.

GE. *Et de Auicennæ contradictione; si vobis uidebitur, colloquemur, sed in Galeno orta est hæc difficultas, ita obscurè nanq; videtur loqui de huiusmodi fructu, vt quænam sit eius sententia circa citri seminis qualitates non facilè colligere valeamus. proferã igitur primo verba Gal. lib. 7. de Simpliciũ med. fac. vt eorum anatomen facientes, tandem quid re uera de hac re ipsemet senserit colligamus. Galenus capite* Galenus *de malo citreo. Melea Medice: huius fructus non » amplius malum medicum, sed ab omnibus Citrium » nuncupari adsolet, in semine quidem vincentem ha- » bens qualitatem acidam, & siccam, vt ipsum tertij sit » ordinis resiccantium refrigerãtiumq;: in cortice uerò » itidem desiccantem temperiem est sortitus non parum » tamen habentẽ acrimoniæ, proinde desiccat hic secun- » do excessu, non tamẽ frigidus est, sed temperatus, aut » paulò infra. porrò caro eius pariter crassi succi est, & » pituitosa, frigidaq;, nam & ipsa editur, sicut & cor » tex. semẽ omne edi ineptum est, tum humidum illud, » & acidum, de quo primum disserui. Et nucleus, qui » in illo inuenitur, id quod reuera semen est, hic amarus » est, & digerẽdi uidelicet, siccandiq; facultatem obti- » nens, secundo quodã modo ordine à tẽperatis recedẽs. »*

folia

» folia uerò deniq; exſiccandi, ac digerendi uim obtinēt. Veruntamen vnum priùs eſt aduertēdum, ne in æquiuocatione verſemur, Cedrū arborem aliam eſſe a Citrea, veluti ad longum diſputat Braſauolus in ſua illa

Braſau. epiſtola nūcupatoria libro illi examinis ſimpliciū præ-

Ruellius fixa, ac ante illū Ruellius capite de Citro, è qua quidē

Dioſcor. arbore menſæ fiebant: quod tum & Dioſcorides, &

Theoph. Theophraſtus, & Plinius, & Galenus noſter eodem

Plinius.

Galenus lib. 7. præmonſtrarunt: illa etenim eſt arbor procera abieti perquam ſimilis, vt Iuniperus fructum ferens myrthi magnitudine rotundum, ligni materies æterna, cuius reſinam cedriam nuncupamus,

Horat. Speramus carmina fingi

Poſſe linenda cedro, & læui ſeruanda cupreſſo,

Dixerat Venuſinus in arte Poëtica de carminibus dignè perpetuò duraturis. Hæc autem, de qua ſumus nunc locuturi, eſt planta mediocris perpetuò pomifera aurantiorū, ac limonum arbores magnitudine æquās, folijs vireſcens perpetuis lauri ſimilibus, pomi effigies caperata rugis, oblonga, interdum rotundior, color aureus, gratus odor: de qua quidem Virgilius lib. 2. Georg. talia decantauit.

Virg. Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecēre nouercæ:
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia verba:
Auxiliū uenit, ac mēbris agit atra uenena,
Ipſa ingens arbos, facieq; ſimillima lauro, &c.

Et Pōtanus in Hortis Heſperidū hæc retulit p̄ter alia

Auriferis

Auriferis primum sese extulit hortis *Pontan.*
Citrius, arboreæ referens præconia palmæ,
Illi perpetuus frondis decor. inter opacum
Albescunt nitidi flores nemus. Atq; ita latè
Spirat odoratus Zephyris felicibus aer.
Ipsa quidem lauro folijsq; & cortice, & ipso
Stipite tum similis, tum frondescente iuuenta.

BVR. *Amice, vereor Maronem eo loci non de malo Citrio, sed de Arantio fuisse locutum, de quo quidem in Pastoritia illa contentione idem Poeta intellexit dicens,*

Aurea mala decem misi, cras altera mittam. *Virg. in Palæm.*

Et ego iunior dum iuuenculam quandam deperirem, quæ Aurantia uocabatur, tetrastichum illud cõposui, qd̃ in Tyrocinijs nostris, iamdudũ est registratũ, nẽpe. *Tyroc:*

En doleo, malum medium mea iurè puella
Dicitur, est etenim vah Medici ipsa malum.
Est Aurantia item, forsan quòd confluat aurum
Est opus, en, Medici Aurantia pelle malum.

GE. *Incidis in foueam, quam facis, dum etenim tentas Aurantium à citrio distinguere, ipsum idem facis cum citrio, quod quidem malum medium à Galeno proprio nomine nuncupatur.* *Galenus 7. Simp.*

BVR. *Assentior quidem, sed aduertendũ, quod cum idem tripliciter dicatur, genere nempe, specie, et numero, isti fructus non sanè sunt ijdem numero, sed eiusdem generis, ac speciei, adeo vt sæpesæpius per malum medicum Arantium intelligatur, nunc præcipuè quòd receptũ est nomẽ Citri ueluti (vt dicebat Gal.)*

ab omnibus nuncupari adſolet, cuius quidem ordinis ſunt & limonia, & quæ poma Adami vocantur.

Citrigenum ſpecies, cum ſint & germine, & ipſo
Cortice tam ſimiles, cognato & ſemine iunctæ,

Dicebat Pontanus diligens citriorum cultor.

GE. *His ſic conſtitutis iam ad Galeni verba, à quibus paulùm ſeceßimus, reuertamur. apparet itaq; ex verbis Galeni ſub initio capitis, ſemen citri frigidum eße, ac ſiccum in tertio ordine, paulò autem inferiùs ipſum calidum eſſe in ſecundo, ac ſiccum, vt non minor in Galeno, quàm in Auicenna appareat contradictio, imò maior hæc, quoniam in eodem capite, illa autem in libris multum diſtantibus.*

FE. *Vt hanc non leuem dubitationem tollamus operæ precium eſt nos vel ſenſui, vel rationi, vel auctoritatibus aſſentiri; quapropter quod ad ſenſum attinet, quis eſt qui non fateatur (dummodo ſit ille mentis, guſtusq; inculpati) ſemen mali citrei amarũ eſſe? amara autem ſicuti acria, ſalſa, dulcia, & oleoſa calida eſſe iam apud omnes eſt in confeſſo, veluti acerba, auſtera, acida, & inſipida omnes frigida eße atteſtantur, quare ex hoc capite ipſum calidum ſtatuemus.*

QV. *Animaduertendũ puto in citri ſemine tres eße partes, corticem nempe luteũ, inſtar grani aceris, tunicam, quã interulam poßumus nuncupare, & nucleum: poſſet quidem nucleus eſſe calidus, ac proinde cortex, & cuticula frigidæ: vt Galenus in primis uerbis velit aſtruere vincentem qualitatem, quæ in citri ſemine frigida eſt, in cortice reperiri, nucleum vero,* Galenus

qui

qui quidem, vt ipse ait, re uera semen est, calidum, ac siccum esse: & sensui pariter aßentiri, cum dicat hic amarus est. vt in ferenda sententia de citri seminis qualitatibus ipse etiam sensu ipso gustus fuerit vsus. Et propterea elegantißimus Iouianus secundo illo de Hortis Hesperidum cecinit,

Mane autem puero instilla, bibet acre venenum
Lumbricis, stomacho, mirũ, medicabitur ægro, etc.

BVR. Vtcunq; sit: Ego nunquam assentiar Galenum Anatomiã tam futilem citri seminis, ac inanẽ fecisse, quippe qui nunquam viderim, seu audierim aliquem esse usum in medicina huiusmodi tunicarum citri, neq; scriptorem quempiam de illarum qualitatibus mentionem fecisse: imò dicerem Galenum fecisse quidem anatomen ipsius citri, tunicas autẽ huiusmodi floccipendisse: ponit etenim corticem, carnem, acidũ, et semẽ, nec alias ille, aut alius scriptor antiquior, mali citrei partes examinat..

GE. Sensui igitur inhærentes dicemus citri semẽ calidum, ac siccum esse in secundo gradu, cum sit amarum, & digerendi, siccandiq; facultatem obtineat: et certè nedum sensui, sed & rationi iam dictæ, & auctoribus aßentimur, quos quidem non omnes in præsentia recitabo, laboriosus etenim eßet, ac inanis conatus: placet tamen ad præsens aliquot, quos ad manus habeo auctores, atq; eos egregios recensere: Ruelliũ quippe, Brasauolam, & Mattheolum; inquit itaq; Ruellius rei herbariæ scriptor imprimis nobilis lib. I. de natura stirpium, cui titulus citrea malus, seu medica. Ruellius

Acida pars tertiam frigidorum ſedem tenet, ſemini quidam tertiam calidorum, & ſiccorum claſſem aßignant, alij ſecundam tantùm. porrò Mattheolus lib. illo de ſimpl. med. fac. dum calida ſimul, ac ſicca recenſet ſimplicia, ſtatuit mali citrei ſemen in ſecundo calidum, atq; ſiccum, quod quidem & alij multi iam ſtatuerunt, cum quibus et Braſauola, & omnis recentiorum Schola conſentit.

Matth.

Braſau.

AP. *Credo equidem rei veritatem ſic ſe habere, at quomodo in Galeno æque, ac in Auicenna non ſit contradictio nondum patet. ad Galeni verba igitur de integro reuertamur, inquit Galenus, in ſemine quidē vincentem habens qualitatem acidam, atq; ſiccam, vt ipſum tertij ſit ordinis reſiccantium, refrigerantiumq;, atq; inferiùs ibidem ait, nucleus qui in ſemine reperitur amarus eſt, & digerendi, ſiccandiq; facultatem obtinet, vt primò ipſum frigidum eſſe dicat, ſecundò calidum (amara etenim, & digerentia iamdudum calida eſſe conſtant) quod ipſemet intellexit ſubdens, ſecundo ferè ordine a temperatis recedens.*

Galenus

FE. *Vt Galenum noſtrum à pinguis ignorantiæ calumnia uindicemus, dixerim ego textum proculdubio eſſe corruptum, atq; vbi primò ſcriptum eſt ſemen, reponendum eſſe ſuccum, quod ſi fecerimus, omnis contradictio, ſeu controuerſia prorſus tolletur, quòd autē id cum ratione fieri poßit, quòdq; poßimus diuinari hanc fuiſſe Galeni mentem, tametſi oporteret inſpicere textum Græcum, quem hic non habemus, inde liceat facere coniecturam, quòd recenſens Galenus ſūs*

citrei mali partes ponit corticem, carnem, semen, & usq; folia, partem autem acidam, & succosam non ponit, cuius tamen tantus est usus in medicina, præsertim ad syrupos parandos, atq; condimenta in summis feruoribus, magnisq; febribus mirabilia, atq; eò amplius in sedandis mulierũ paßionibus, seu fastidijs prægnantibus satis familiaribus, quod Symptoma picam, cittam, & malaciam scriptores medici vocitarunt, quare non est dicendum quòd hanc citri partem ita euidẽtẽ tã incautè scriptor adeò diligẽs prætermiserit.

BVR. *Imò potius asseuerandum iuxta tuam sententiam veritati consonam, quòd bis in eodem cap. de parte illa sermonem fecerit, primò quidem dicens, in succo (non autem semine) vincentem habens qualitatem acidam atq; siccam, quod sanè non est in semine, atq; inferiùs quando dixit, illud de quo primũ disserui, non enim alibi de hoc acido sermonem fecit, nisi in superioribus illis verbis aßignans succi huius qualitates, tertij nempe ordinis frigidas, atq; siccas.*

Sed succo ingrato, quẽq; ora offensa recusent. d. Pont. *Pont. de hort. Hesperid.*

AP. *Dum ego rem hanc aliàs pensitatem perinde, atq; nõ paulũ hæsitarem, duos medicinæ scriptores excellentißimos, atq; eos antiquos Galeni sectatores volui consulere, vt qui soleant sæpißimè Galeni uerba adunguem referre: Paulum inquam Æginetã, atq; Oribasium, vt viderem nunquid ipsi rem hanc aliter pertractarent: nihilominus Paulus ne uerbum quidem, cum alia propemodum omnia simplicia, de quibus Galenus egit, pertractet, Oribasius autem eadẽ*

prorsus

prorſus huiuſmodi verba in ſuis collectaneis medicinalibus regiſtrauit, adeò vt cogitem textum Græcum habere σπέρμον, non autem ὀπόν, neutrumq; horum auctorem voluiſſe mutare. Sed Oribaſius verba Galeni, vtut reperijt, regiſtrauit, Paulus autem hanc cõtrarietatem in ſuis commentarijs noluit implicare.

BVR. *Aduertas quòd Paulus de malo citreo eſt locutus cũ de malo perſico ſermonem fecit, ita etenim primùm hic fructus nominabatur à regione Perſica, vnde ad nos à quibuſdam delatus creditur, propterea* Theoph. *Theophraſtus dixerat, Media regio, & Perſis permulta fert alia, & malum quod perſicum, aut medicum nominatur. inquit itaq; Paulus, mali perſicæ germina, ac folia manifeſtè amara ſunt, lumbricos itaque occidunt trita vmbilico impoſita, fructus ipſius, malũ videlicet hoc perſicum, quod editur, humidum eſt, ac frigidum ſecundo abſceſſu, quas facultates, & malum citreum habere experimur: & ſi de toto citreo in unũ comprehenſo loqui volumus ipſum à prædominio eaſdem etiam habere qualitates frigidas nempe, & humidas, quas aſſignauit Paulus fateamur neceſſe eſt.* (Paulus Aegin.)

BAL. *Hoc apud me non adeò clarum eſt, quandoquidem Oribaſius eodem utens ordine in referendis* Oribaſi. *ſimplicibus, quo & Paulus, de malis loquens primùm de malo perſica loquitur, deinde de armeniaca, tũ de medica, & malo perſicæ eaſdem propemodum vires, ac facultates aſſignat, quas Paulus; medicæ autem illasmet proprias, quas Galenus.*

GE. *Quid eſt ut amplius auctores alios referamus?*

optimum

optimum esse crediderim Galenum per Galenum interpretari. Ecce dum loquebamini arripui secundam Galeni librorum classem, & in secundo illo de alimentorum fac. cap. 37. cui titulus de Citrio, id cōperi cōnotatum, audite. Id quoq; malum medicū appellant, qui id agunt, ut quæ loquuntur nemo intelligat, quamuis inter virtutes orationis perspicuitatem numerent. satius autem fuisset quamnam partes citrij habeāt facultatem, & quodnam commodum ex ipso hominibus accedat inuestigasse, quàm anxie partes huiuscemodi inquirere. Quam ego nunc vestigationem ingrediar, dicamq; huius fructus tres esse partes, acidam quæ in medio ipsius sita est, tum autem fructus ipsius velut carnem, quæ medium ipsum ambit, et tertiam quæ est tegumentū extrinsecus circundatum, quod suaue olens est, et aromaticum, non odore modò, verumetiā gustu. iure igitur concoctu est difficile, ut quod durum est, ac calosum. quòd si quis ipso, ut medicamento vtatur, cōctioni nonnihil conferet, quo modo, & alia omnia, quæ acrem habent qualitatem. Eadem autem ratione si sumptum parcè fuerit stomacho robur induit: proinde ipsum comminuentes, succumq; totum exprimētes solent medicamentis immiscere, quæ per os sumuntur, quæq; ventrē deijciunt, aut totum corpus purgāt. parte autem fructus acida & non vesca, qua semen continetur, cum ad alia quædam utuntur, tum sæpe in acetum imbecillum conijciunt, quo ipsum reddant acrius. pars autem inter duas iam dictas media, quæ sanè corpus etiam nutrit, quæq; neq; acidā, neq; acrem

Galenus

habet.

„ habet qualitatem propter duriciem concoctu est diffi-
„ cilis. ob eam causam omnes ipsam mandunt cum ace-
„ to & garo, ut saporis hebetudinem acuant, fortasse
„ autem, quod experientia didicerunt, aut à medicis ac-
„ ceperunt, ipsam coqui faciliùs, si mansa eo modo fue-
rit. apparet itaq; ex Galeni uerbis tres esse partes ma-
li citrei, acidam s. qua semen continetur, carneam ut
sic dicam. & tegumẽtum. quocirca ex relatis hucusq;
patet textum esse corrigendum, & primo loco pro se-
mine legendum, uel intelligendum succum, quod si fe-
cerimus, & rei ueritatem assequemur, & tantum au-
ctorem a calumnia defendemus: dicant modò quic-
quid velint illi, qui asserunt conciliandas esse auctorũ
sententias verbis, aut textibus non mutatis, nanq; nõ
ego nunc corrigo Galeni mentem, sed ignari scripto-
Hippoc. ris, ut et ipsemet Galenus sæpius in Hippocratis com-
mentarijs facere solitus fuit, et in suis iure alij fecerũt,
& faciunt: librariorum etenim, ac impressorum insci-
tia non rarò plurima contingunt errata, de quibus au-
ctores, si viuerent, grauissimè cõquererentur; quapro-
pter in re tam clara non est dubitandum quin huius-
modi textus non sit corruptus: & certè mirandum in
Ioannes modum miror Ioannis Gorræi Parisiensis errorem in
Gorræus suis definitionibus medicis, qui, Galeni corruptũ textũ
secutus, dixit citri semen tertio ordine exsiccare, &
refrigerare, nucleum verò, qui in semine reperitur, in
secundo calefacere, atq; exsiccare, cũ & ille citri par-
tes recensens dicat, constat autem is fructus tribus par-
tibus, acida, quæ in medio ipsius sita est, carne, quæ
medium

medium ipſum ambit, et cortice exteriore ſuaue olenti, & aromatico, quibus partibus aßignans qualitates, non amplius de acido loquitur, ſed eius qualitates aſſignat ſemini. Quòd autem ita corrigi textus Galeni debeat, Mattheoli uiri in re herbaria ſolertißimi uerba in compendio de plantis apertißime palàm faciũt, atq; illa ſunt fermè eadem Galeni uerba, quæ quidem libenter hic regiſtrabo, vt omnium pariter citri partiũ facultates ueluti in compendium redactæ facilè dignoſcantur. QVALITATES. Succus vincentẽ habet qualitatem acidam, & ſiccam, vt ipſe tertij ſit ordinis exiccantium, refrigerantiumq;, cortex autẽ exiccat, & non parum habet acrimoniæ, & proinde deſiccat ſecundo exceſſu non tamen frigidus eſt, ſed aut temperatus, aut paulò infra. Porrò caro pariter craßi ſucci eſt, & pituitoſa, frigidaq;. Semen amarũ eſt, & digerendi videlicet, ſiccandiq; facultatem obtinet, ſecundo quodam modo a temperatis recedens. folia vero & digerunt, & exiccant. quod ſanè ante Mattheolum illis præcitatis verbis Ioannes Ruellius recitauit dicens. Acida pars tertiam frigidorum ſedem tenet: ſemini quidam tertiam calidorum, & ſiccorum claſſem aßignant, alij ſecundam tantùm. hæc crediderim impræſentia ſatis eſſe quo ad textum, & verba Galeni. Matth. Ruellius

BVR. *Ne uos pigeat & paraphraſim textus Galeni audire. Malum medicum ab omnibus citrium nuncupatur, cuius acidum refrigerat tertio ordine, atque exiccat, cortex pariter deſiccat ſecundo exceßu,*

& licet acris ſit, nõ tamen frigidus eſt, ſed ferè temperatus; caro editur, craßi ſucci eſt, pituitoſa, & frigida, ſemen, eius cortex, & acidum non editur, nucleus, qui ſolummodo eſt ſemen, amarus eſt, digerit, exiccat, ut in ſecundo calidorum, ac ſiccorum gradu certè ſit reponendus.

QV. *Hac tua paraphraſi veritatem oppidò clariùs manifeſtas. Sed quid tandem dicemus, de Auic. cõtradictione, cum iam apud omnes receptum ſit ſemen citri calidum eſſe? nòn eſt ut tantum Auctorem in re tam aperta adeo hallucinatum eſſe credamus, ut illud calidum, ſicuti eſt, reuera ſtatuens, poſtea ſui oblitus alibi frigidum in tertio ordine eſſe velit.* *Auicen.*

FE. *Ne in longum de hac re noſtra nunc oratio protrahatur, neúe vlterius fatigemur, pro conciliandis duabus his contrarijs ſententijs cum Doctiß. Braſauolo in examine ſimplicium ſumma cum ratione dicamus impreſſos textus corruptos eſſe, libro ſanè illo de viribus cordis, vbi reperitur ſcriptum, citri ſemen in tertio frigidum eſſe, ac ſiccum, cum ipſe teſtetur ſe in antiquum Auicennæ codicem manuſcriptũ incidiſſe, in eoq; comperijſſe eadem penitus in hoc loco, atque in ſecundo canonis ſcriptum eſt: vnde concludit non eße opus in rebus tam fatuis, & craßis ſummos viros erraſſe, aut ſibijpſis contradicere putare.* *Braſau.*

CAL. *Memini quidem me apud Manardum Medicum noſtri temporis diligentißimum in quadã eius epiſtola legiſſe duplicem huius contradictionis ſolutionem: alteram quidem quòd in primo loco intel-* *Ioannes Manar. lib. 11. epiſt. 3.*

lexerit

lexerit Auicennas de citri semine, in secundo uerò de semine arantij. quam tamen et ipse non accipit, cum alibi arantium citrangulum vocet Auicennas, atque ipsius etiam semen amarum esse persentiamus.

BAL. *Sensim mi Calcia, quod ad nomen spectat. si Ruellio credimus, hæc duo, & alia multa sunt eiusdem speciei, sicuti inter homines gigas, communis homo, & pumilio: claudus, cæcus, pauper, aut diues: Æthyops, Græcus, aut Italus, accidentia etenim non mutant genus, aut speciem: inquit itaq; Ruellius malum Assyriam, et persicam, & citrum, et citream arborem cōiter nominare solent. Quæ auri colore relucent poma aurengia, siue aurantia siue narantia uulgus appellat, quæ ex viridi in luteum languescunt citreola, et tandem citrula nominant, quæ ouata specie turbinantur, si luteo colore nitent citrangula, priuatim citrea vocant, si herbaceo colore virent limones dicūt, si prægrandia modo melonum orbiculata facie turgēt ponceria uulgò, quasi cerea, vel potius citrea poma dicunt; quocirca non quia vtatur Auicennas citranguli nomine lib. 1. tract. de vrinis, conciliari potest contradictio, cum fermè eadem sint, nec quia eius semen itidem amarum sit, esset enim ad eundem lapidē bis impingere, sed alia adinueuienda est uia Manardo Eccellentiss. magis consona veritati.* Ruellius

CAL. *Est itaq; alter eius modus tuendi Auicen. quòd scilicet ex Galeni instituto per semen intelligat ipse totum id, quod est infra carnem, & nucleum: quòdq; libro canonis de nucleo loquatur, libro autem*

de medicinis cordialibus de eiusdem seminis cortice, aut tegumento.

GE. *Si prior Manardi solutio ei parum placuit, hæc posterior mihi nullo modo placere potest, tum quia facit hãc futilem, inanemq; anatomiam in citri semine, tum quia uult Auic. cũ Gale. sentire, nihilominus facit illum cũ eo penitus dissentire: statuit enim Gal. pro semine intelligere succum, & nucleum cũ tunicis, ipsiq; succo assignare vim refrigerandi, siccandiq; in tertio gradu, cum tamen hanc eandem vim ipse assignet cortici seminis, idq; velit uoluisse Auicennã ex*

Brasau. *mente Galeni. Quocirca manibus, pedibusq;, vt aiũt, curro in doctissimi Musæ opinionem.*

FE. *Non est ignorandum, Amici optimi, Manardum ipsum virum alioqui tam scientia profundũ, quàm amœnum ingenio, & alibi non pauca de hmõi citri semine scriptis mãdasse, nempe prima illa epistola libri duo deuigesimi: in qua nihilominus apparet ipsum (meo quidem iudicio) minimè resolutum, quimi-*

Manar. lib. 18. *mo esse ualde implicatum. Vos autem huius meæ sententiæ, uerbis eius a me allatis in medium, testes eritis, audite. De citro volens, vt tibi morem gererem per epistolam id petenti, tollere repugnãtiam inter Auicennæ dicta, nonnulla commentus sum, quibus excusari posset: & inter reliqua dixi, per semen posse intelligi totum id, quod carnem, & nucleum intermediat, in quo proculdubio acedo continetur, vt scilicet, simul tutarer, & in concordiam redigerem Galenũ, & Auicennã acedinẽ, & frigus semini ascribentes.*

Tu

Tu verò nescio an calumniandi gratia, sed vt credere malo, quî tibi ita visum est, in me insurgis, quasi in hoc etiam semen verum, hoc est nucleum comprahendi voluerim, cum tamen paulò post dixerim, semẽ verum a Galeno statui calidum; impingis etiam mihi, quòd dixerim corticem ipsum nucleum continentẽ per se frigidum esse, quod certè non dixi, sed Galenũ dicentem in semine vincere acidam qualitatem, dixi comprahendisse sub seminis nomine medullam illam, in qua apertissima comprahenditur acedo, quam tamen perisperma mauis vocari, quàm sperma. Sed si in solo nomine erat controuersia, non erat, vt chartã, & tempus in hoc perderes, & mihi eandem iacturã faciendi occasionem praeberes. addam tamen & hoc, quia tu bene correcti Galeni mentionem habes, me in codice manuscripto, ac bonae fidei vtrumq; legisse, semen scilicet, & aciditatem, posseq; vtriusq; lectionis argumentum capi ex his, quae versus finem capitis ab eodem Galeno scribuntur. ait enim totum autem semen inesibile: humidum verò, & acidum, de quo priùs disserui est, qui in ipso nucleus inuenitur, qui verè est semen. cũ enim dicat hoc esse verum semen, innuit se de non vero priùs locutum, sed apertè etiam testatur se de acedine antea disseruisse. hucusque Manardus.

GE. *Quicquid sit de Manardi sententia alij uiderint; ueluti & quicquid dixerit Andraeas Baccius lingua Italica libro illo secundo de Tyberi circa frigidae potationis vsum permulta capita: quod meherc!* *Andrae. Baccius.*

in

in præfinita quæstione referre non fui recordatus; Ego sanè, dum Auicennæ magni canonis textum legerē, comperi in margine Benedicti Rinij huiusmodi adnotationem, nempe, libro de viribus cordis tract.2.c.3. semen esse siccum in tertio, & in alia littera frigidum siccum in secundo, hæc ille. Ego porrò in quendam alium antiquum Principis librum manus inieci, & libro illo de viribus cordis hæc ad amußim verba cōperi registrata. Semen autem citri est Theriaca conferens venenis, videtur etiam quòd sit ex confortantibus cor præbendo soliditatem substantia spiritus, quoniam ipsum est siccum in tertio, nulla facta mentione de actiua qualitate: vt inde pateat quàm sæpe describentium, librariorum, correctorumq; inscitia plurima cōtingere errata: quicquid enim dixerit Auicennas, certè non tot modis singulo in loco, sed vno duntaxat ipsum fuiße locutum: & quidem, ut erat sapiens, ac practicus, meliori, iam statuamus. Vt tandem mea, vestrúmq;, vt arbitror, omnium sententia sensui, rationi, atq; auctoritatibus inhærendo, sit procul omni dubio statuendum semen mali citrei calidum esse, atq; siccū infra secundam, ac tertiam classem paulo plùs, paulò minùs respectu accidentium, quæ à soli diuersitate, à regione, à diligentia, à maturatione, seu crudiate, siue à quopiā alio ipsimet semini impartiuntur.

Vsqueadeo cæliq; situs, solaq; abdita terræ,
Et soles variant ipsi, positusq; locorū. dixit Pont.

Si modò quispiam hæc omnia breuißimè, absolutè tamen, & per modū arboris, habere cupit, ad Syntaxes Medi-

Benedi. Rinius.

Auicen.

Pont.

Medicas Iacobi Vuecheri libens recurrat, vbi, tanquam in ſpeculo, uno intuitu ferè quæcunq; de citri ſemine hucuſq; diximus facillimè perluſtrabit. Syntax. Med.

BVR. *Fortè fortuna dicet aliquis cum Horatio. Fortaſſe cupreſſum Scis ſimulare, quid hoc? ſed non erat hic locus: nõ etenim opus fuerat huiuſmodi quæſtionem tractare in his dialogis, cum ea ſit prorſus medica, & in libris medicis ventillanda; hi autem ſint peregrini, & quodammodo cuilibet callenti litteras curioſi: in quibus uniuerſalia, non autem vnius ſcientiæ particularia eſſent tractãda. Huic utiq; (hanc diſputationem tuendo) reſponderem, te nedùm vti medicum cum medicis in præſentia hãc quæſtionem propoſuiße, uerùm magis vt alteri tacitæ obiectioni occurreres, quæ eſt, quòd aſtruunt multi in auctoribus, præſertim medicis, maximas eße contradictiones, et falſitates, vt propterea non ſit mirandum, ſi occidant homines, cum ſæpe eueniat, vt dum de medicinis iuxtà auctorum ſententias digladientur inter ſe medici, eorum opiniones peruertentes interdum et miſerorũ ægrotantiũ vitas peruertant. quandoquidem non eſt uerũ in his auctoribus grauißimis eſſe contradictiones, aut falſitates, ſi benè res perpendantur: ſed ſi quandoque incidit error, aut altercatio, id ex eorum, qui ad hæc uocantur inſcitia, non ex ſcriptorũ ignorantia contingere fateamur neceſſe eſt.* Horat.

Finis Quæſt. de citri ſeminis qualitatib.

QVÆSTIO QVARTA.
De Ciuili Rusticatione.

AP.

POsteaquam (viri sapientissimi) ruris huius, huius pomerij, huius prædij: quinetiam huius altioris domicilij commoda, & delicias fui diutiùs contemplatus, in mente mea, vel me inuito, dubiũ sæpius recursauit, nunquid scilicet dulcius sit, ac proinde laudabilius ruri, an potiùs infra vrbis mœnia commorari, vitamq; traducere longiorem; videbam etenim vtrobiq; commoda multa, multas delicias, multas amœnitates: quæ omnia si inuicem conferantur, in quã partem potior laus ceciderit, non est, vt suspicor, ita facile decernendum.

CAL. *Tu mihi in scirpo nodum videris quærere, ò Aproyna. Ecquis, per Deos, ruris commoda ciuicis commoditatibus anteponet? nisi qui Lunam Soli, seruum Domino, & luci tenebras uoluerit anteferre?*

AP. *Sensim excellens Calcia, nollem ego in præsentia ut tuum librans à te ipso animum, aliorum omnium penè hominum animos sui esse similes reputares: nam tametsi te vsqueadeo delectet Ciuitas, vt vix per horam ruri degere patiaris, quod nunquid lucri, an visendorum amicorum auiditas pariat, non satis perspectum habeo: non propterea debes de re tam ardua, ita leuiter, & absq; discussione aliqua, nec uulgari, illico uniuersalem ferre sententiam: quinimo si veritatem*

*ritatem illam, quam credo, et reipsa experior, ad præ-
sens dicere audeo, rusticationem anteferendam esse,
sicuti teneo, ita illam rationibus sustinere, defensareq;
pariter audebo.*

BAL. *Duram profectò perinde, atq; difficilem
sumis prouinciam, dulcis cognate: Ego nihilominus,
tametsi tuæ sententiæ meis aßertionibus non fauebo,
non propterea tibi in aliqua re aduersabor, verum po-
tius auditor tantùm aßistam, ne tibi suffragari cupiēs,
cum meo luctarer genio.*

AP. *Scio equidem, vir amice, nedum per ætatem,
per necesßitudinem, per mores, & magis per arctißi-
mam nostrarum coniugum affinitatem, cum sint soro-
res, te contra me teipsum minimè positurum. sed po-
tiùs propterea quia medicinam faciens fuisti ciuitati
semper addictus. quod maximè apparet, cum Ciuita-
tem illam elegeris habitare, quæ non, vt Taruisium
nostrum, contigua retinet suburbana, & vicina rura,
sed mare tantùm obtinuit circumcirca, Venetias in-
quàm; cuius vrbis, cuius Reipub. laudes decantare,
nec Cicerones centum, nec centum Demosthenes, aut
cantum Virgilij voluissent: nedum Germanus ille* Germa.
Aureliensis Heroicis carminibus, donatus torque: ne- Audebe.
dum ante illum Gregorius Oldouinus versu Elego: Gregor.
nedum Beatianus noster hexametris adeo cultis: nedū Oldou.
Bellhauerius lingua Veneta cum millibus suis meta- August. Beatia.
phoris, nedum deniq; mille alij, quorum nominibus hic Belliba
*non est locus: propterea æqui, boniq; consulens orationes
nostras attentiùs auscultabis.*

QV. *Duos hucusq; , vt video , habes contrarios, Aproyne, & licet alter sit taciturus, alter attamen nō deficiet : quinimò fortasse & meipsum tertium aduersarium obtinebis, tametsi mihi absolutè non displiceat rusticari .*

AP. *Sis mecum deprecor Eccellentiß. Federici, ne rationibus meis deficiat viri sapientis auctoritas: scio equidem quanta ruri ieceris fundamenta, ut istic valeas commodiùs, atq; elegantiùs habitare.*

FE. *Tametsi opiniones vestræ de re hac minimè concordabunt, non propterea crediderim ponendū esse dißidium inter uos; quandoquidem uter vicerit, nihil proculdubio præter quandam leuem gloriolam asportabit: & Ego sanè, si de re vix proposita sententiam meam essem dicturus, & ciuitatis commoda, & ruris ocium, ac delicias laudarem adeò, vt vix posset intelligi nunquid hoc illi, an illā huic maluerim anteferre.*

GE. *Non hic quæritur nostrùm quorumlibet sententia, vel auctoritas, imò ratio, & complicitas rationum, ut ijs ruri commoratio, aut in ciuitate eligibilior, & laudabilior liceat comprobari: mihi autem suppetit dicere, quod experior, non quidem propriæ inhærens sententiæ, aut voluntati, sed potiùs rationi, nempe, si delectationi perspicimus, rus palmam feret, sin autem vtilitati animus appellitur, Ciuitas & palmam referet, & trophæum : nam quemadmodum ruri non desunt aucupia, venationes, cantus auium, gratus viridium aspectus , & huius generis alia oblectamenta; desunt autem dignitates, venerationes, honores, lucra,*

pecuniæ,

pecuniæ, vtilitates; ita in vrbe haud præstò sunt animi illæ vanæ equidem oblectationes, præstò sunt autē nummi, dignitates, commoda, & omnis generis ornamenta adeo, vt ciuili homini eligenda sit potiùs, quàm rus ipsum, ciuitas habitanda.

AP. *Et tu ex illis es, vt audio, Gete, Qui aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborant: Ecquid feceritis per Deos, post tot cursus, atq; recursus, sursum deorsum ititando, per vicos, per domicilia, per pharmacopolia? nisi quòd longioris, chroniciq; cuiuspiam morbi ieceritis fundamēta, ac nedum morbi corporis, sed magis animi: ibi etenim curæ, passiones, fastidia, inde oppillationes, melancholiæ, phrenitides, tum etiā anxietates, ambitiones, tenacitates, vitiosa desideria, &, quod verbo proferam, corporis simul, atque animi innumeræ passiones. Quare iuuat dicere nunc cū Lyrico. Beatus ille, qui procul negocijs, Vt Prisca Gens mortalium, Paterna rura bobus exercet suis Solutus omni fœnore. cum ijs quæ sequuntur.* Horat. Horat.

BVR. *Idem Lyricus factus Satyricus, & cautiùs rem pertractans*

Solos fælices viuentes clamat in vrbe.

AP. *Apagesis, ne illudas, dum seriò res tractatur: scio equidem te non latere, Horatium in Satyra illa pulcherrima ad Mæcenatem mentes hominum recēsere, & varias voluntates, conditionemq; propriam nemini satisfacere: vnde refert militem mercatores dicere fortunatos, mercatorem militiā laudare: quòd iuris peritus extollit agriculturam, & quòd rusticus*

duro iam fractus membra labore Solos fœlices uiuẽtes clamat in vrbe. vnde & Democritus Hippocrati dixerat, Principes, ac Reges priuatum prædicant. priuatus autem regnum appetit. Qui Reipub. magistratũ gerit artificem laudat, velut extra periculum constitutum: artifex autem illum, velut per omnia potentem. & paulò ante, continentem habitantes mare cupiunt, & rursus, cum in insulis sunt desiderant continentẽ. nec nostrã illi propterea terminãt controuersiã.

Democ. Hippoc. in epist.

FE. Ego sæpe ad eundem lapidem impingo (talis est conditio nostrorũ temporum) ut nihil propemodum dici valeat, quod bis, atq; iterum tertiò antea nõ sit dictum. quare disputationibus prætermissis sufficeret lectorem, seu auditorem remittere ad auctores, qui de re rustica pertractarunt. Catonem, Varronem, Columellam, Palladium, Dionysium Vticensem, Ciceronem libro illo de senectute. variæ lectionis Syluas. Dialogum illum Lombardi Serici de bono solitudinis tum Fr. Petrarcæ ad eundem super eius dictis lata sententia: inter neothericos autẽ sat esset legere Augustini Galli Prolegomena in 20. illos libros de re rustica, Kererum illum Gallum, Bonardum, Carolum Stephanum, & alios. pariter & inter Arnigij vigilias, & inter Garzonij Plateam illam vniuersalẽ, & non parum inter Tyrocinia Burchelati nostri: apud quos, & alios innumeros ruris deliciæ, oblectamenta, ac vtilitates, adeo exquisitè, ueridicè, ac feliciter recensentur, vt omnis inde labor nobis penitus videri possit sublatus.

Cato. Varro. Colum. Pallad. Vticen. Cicero. SyluæV. Lõbar. Seric. Petrarc. August. Gallus. Kerer. Bonard. Caro. Steph. Arnig. Garzon. Tyroc.

AP.

AP. *Quicquid illi dixerint, totq; alij, non est nostrum nunc iudicare, neq; nūc lectores sumus, sed collocutores, quare aliàs erit ad tractatus horum hominū, si maluerimus, recurrendum; nunc circa ruris atque vrbis commoda ratiocinantes de ijs inter nos breuiter disceptemus propterea, ut in hanc arenam audax descendam, aßero, rus habitandum eße potius quàm ciuitas, homini illi inquam, cui nō desint res necessariæ, quique velit consulere rebus suis, nedum corporis; seu fortunæ, sed magis animi, ac intellectus: ibi etenim bona omnia, quemadmodum video, præstò sunt, atq; ea primitus sibi puraq; recèns oblata, non bis uendita, cariosa, aut adulterata: fruges, fructus, auium genera, animalium, piscium: ibi ocium delectabile, vtile negociū, summa animi delectatio, ac voluptas, vnica ingenij ingenuè exercendi occasio.*

Scriptorū chorus omnis amat nemus, et fugit urbes. Horat.
Dicebat Flaccus.

CAL. *Tu, vt suspicor, Aproyne, nondum uoluisti experiri quanta commoda & habeat, & afferat Ciuitas, quæ quidem omnia longum admodum esset in præsentia recensere: sat est dicere istic cuncta cuiusq; generis, quæ sint homini neceßaria, illicò reperiri; hoc vnum habeto, & certò scias, vbi est pecuniarum copia, ibi esse omnia bona pariter cum illa: tanti etenim commodi est pecunia omni homini, quin tantæ neceßitatis, vt quilibet post illam currat, artes, modosque inueniat, machinetur, vt ad se ipsum ex habentium manibus, aut marsupijs nummos trahat.*

hinc

hinc tot artifices in ciuitate, tot actores, factores, structores, destructores, emptores. venditores rerum milliū millium generum adeo, ut. si cum pecunia petas, exēpli gratia, lac gallinaceum, illud à solertia hominum pecunia indigentiū ex India, uel Arabia, seu dicā ex Aphrica, vnde semper aliquid emanat noui, in ciuitatem affluentem denariјs cōportetur. & vt ad quædam particularia descendamus: dum moraris in urbe vis electas carnes, vis scelectos pisces? in macellum nummatus prodeas, in forum piscatorium mees, ibi venales aderunt anguillæ, luciј, trutæ, murenæ, capitones, cācri, omnisq; generis nostratium piscium, totq; maritimorum, cum Venetiјs cuiusq; propemodum generis, conditionisq; pisces comperiantur. porrò istic boues ex Pannonia, vituli saginati, pingues hædi, & si mauis partes, aut viscera, in promptu aderunt, lactes uncti, frusta dorsalia, corcula, iecinora, cerebella, lacticinia, renes tecti pinguedine, aßanda, elixanda. frigenda, suffocanda, in veru, in craticula, in lebete, in sartagine, in clibano decoquenda: ita non procul inde inuenies oua, pullos, seu mauis pullas, capos, palumbes, perdices, turdos, aues omnis generis. lepores, cuniculos, quid scio? farcimina, embammata, & quicquid petierit argentum tuum, tua voluntas, appetitus tuus: idem de pane intelligas apud tot pistores, vbi albißimum eligis, bene fermentatum, subactum, et coctum, recentē, aut duriorem; idem de vino, nouo aut ueteri, dulci, aut acido, fuluo, rubro, seu nigro, potēti, aut debili queāmodū appetierit gustus tuus, siue indigentia:

atq;

atq; id ſit dictum etiam de qualibet dictorum generũ re appetibili. Sin autem vis veſtitus, petas inſtitores, ſutores, ſarcinatores, tecumq; indeficientem crumenã feras, quodcũq; cuiuſuis generis, cuiuſuis pretij, tametſi carioris ſemper, ab huiuſmodi tabernarijs, ſeu artificibus reportabis: & hæc circa victum, ac veſtitum dicta ſufficiant, quod & de tecto intelligas, vbi etenim commodiora, vberioraq; reperiuntur domicilia, quàm in urbe? quòd ſi animum uis delectabili quopiam delectari, atq; ingenium in re cuiuſuis ponderis exerceri, non eſt in mundo locus, qui ad hoc peragendum cũ ciuitate ualeat dignius comparari; ſi cantas, in ciuitate cantores habes, luſores ſi ludis, ſi litteris delectaris, in urbe habitant doctores, lectores, oratores, Theologi, concionatores, &, quod uno uerbo concludam, nullum eſt genus hominum, nullumq; exercitium, etiam malum, ſi malum velis, quod non in ciuitate comperiatur. Quapropter malè agere, & propemedum deſipere mihi videntur illi (quod pace tua dixerim, Aproyne) qui rus, ruſticanaq; commoda ciuitatis cõmodis innumeris voluerit anteferre. Vnum aliud referam ad nos ſpectans, & conticeſco; ægrotet aliquis ruri, vbi eſt medicus? vbi ſunt medicinæ? in ciuitate autem medicus ſtatim accurrit, medicamenta illico ab aromatarijs obtinentur: & ſi mutare, aut addere libet ſubitò, id in ictu oculi eſt abſolutum: ibi amici te uiſitant, tibi conſanguinei ſuffragantur, vicini tibi cõmodant neceſſaria, ſerui, ac pediſſequæ ſatagunt minori impendio, & diligenter. iam ualeant rura; Ego,

niſi

nisi vobiscum essem carissimi, statim in vrbem protinus euolarem.

QV. *O bone Calcia, quanta nam ciuitatis commoda congessisti? Equidem fateor, neq; fortasse fateri mecum verebitur Aproynus, verissima esse, quæ ipse dixeris: nihilominus, si huius Iconis altera spectetur facies, plurima etiam incommoda, seu malimus vitia nominare, erit nobis integrum admirari. vbi nam, amabò, scelerum omnia genera, furta, rapinæ, doli, sacrilegia, proditiones, occisiones, incendia, funera? in ciuitate. vbi lenocinia, concubinatus, adulteria, stupra, incestus, aliaq; vitia innominanda? in ciuitate inquam. ibi septem illa mortalia uitia continuè crassantur, superbia, inuidia, ira, auaritia, accidia, luxuria, gula; adhæc ambitio istic, odiũ, murmuratio, maledicentia, & detractio clandestina dominantur. præterea velit aliquis studijs, ac pangendis carminibus, siue alijs compositionibus distineri, non datur ei tutus in vrbe locus.*

Horat. *Festinat calidus mulis, gerulisq; redemptor,*
Torquet, nunc lapidẽ, nunc ingens machina tignũ.
Tristia robustis luctantur funera plaustris.
Hàc rabiosa fugit canis, hàc lutulenta ruit sus,
I nunc, & versus tecum meditare canoros.

Dixerat Flaccus ad Florum, & paulò ante,
Præter cætera Romæ me ne poemata censes,
Scribere posse inter tot curas, totq; labores?

Prætereo valetudines aduersas, curas, fastidia, passiones, paupertates, miserias, desperationes: usqueadeo,

ut si pari lance pendantur commoda, atq; incommoda ciuitatis, utra dipendant, seu propendant, haud facile fuerit affirmare. Sed quid prohibet ea referre, quæ eximius Petrarca dixerat in insigni illa epistola Lombardo Serico destinata? audite quæso. At plurimi (veh miseri) in urbibus vitam degunt, ubi inuisibiles animorum flammæ, & incendia vitiorum omnium æstuant; & ad summum quot sunt urbes, totidem sunt sentinæ libidinum, ac scelerum officinæ. Vbi enim quæso, præterquam in urbe, voluptates fædæ habitant? Vbi lenocinia, & prostrata passim pudicitia, calcata verecundia, pulsus decor? Vbi stupra, et adulteria, et incestus, atq; omnis generis corruptelæ? Vbi fraudes, ubi doli, simulatiq; contractus, & suppositi partus, & expositi, & hæredis ad nutum composita testamenta? Vbi furta, & rapinæ? Vbi periuria, & periculosa mendacia, & corrupti iudices, infidi notarij, falsi testes, & inter iustitiæ patronos oppressa iustitia? Vbi ad ultimum vana lætitia, verus dolor? Vbi inanis gloria, verum dedecus? Vbi luxus, & gula inexplebilis, & mæsta pauperies, & sollicitæ, operosæq; diuitiæ, & voracissimum fœnus, et pomparum strepitus? Vbi mons superbiarũ, vallis formidinum, palus libidinum, sylua negotiorum, & mare miseriarum, & tempestates litium, & errorum nubes, & puteus odiorum? Vbi imber assiduus lachrymarum? Vbi ex æquo risus, ac luctus inconditus, & querelæ, & clamores, et contentiones, & iurgia amara, & mellitæ, venenosæq; blanditiæ, & susurri infames,

Fr. Pet. Lomb. Seric.

mes, & clandestini morsus, & iurgia partium sine fine flammantia? Vtq; omnia simul stringam? vbi uirtutum fuga, & imperium peccati omnis? vbi & patentes inimicitiæ, & occultæ, & fraudum tendiculæ, & insidiæ capitales, & veneficia, & cædes, & quicquid mali homo in hominem molitur? Multa ecce, necdum omnia diximus. Qui hæc, & quæ sunt huiusmodi cernere expetit, vel audire, non longa est via: proximam vrbem petat. Quæcunq; illa sit, quamuis angusta, quamuis amplissima, & plenam talium inueniet, & capacem horum certe, atq; maiorum, & omnium malorum; adeo quod ciuitas, quæ ad tutelā humani generis facta erat, ad eiusdem excidium uersa est. adhuc Petrarca, cum & alibi plura se dixisse asserat hac de causa: & ad finem huius epistolæ etiā multa subscribat.

AP. *Ago gratias, Quinti optime, quòd mihi dimidium laboris subtraxeris ostendendo Ciuitatis incommoda, vitia, & passiones: restat modo, vt tot illa de vrbanis illis commoditatibus à Calcia magnificè recensita, ego parum animaduertam demonstrans alia mala esse potius quàm bona alia nullius momenti, quædam non esse ruri necessaria, nec opportuna, nec cõmodi nomine digna, quædam postremò potiora esse ruri, & infra magalia, quàm intra mœnia, per plateas, per prætoria. illud primum notare libeat, quòd vrbana illa vocata commoda, edulia nempe cuiusq; generis, pretiosæ vestes, palatia, & talia non nulla ad destruendum nõ tantùm pauperem, sed mediocris,*

quin

quin & bonæ conditionis, ac fortunæ ciuem constructa sunt, Natura paucis, atq; ijs minimis est contenta, *Horat.*
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
Quîs humana minus potuit natura negatis, d.t ille, & ille, Discite pauperiem facilē tolerare: videtis, *Nat.Co.*
Quàm paruis gaudent corpora nostra cibis.
Rerum autem præsentia, & copia, atq; ciuium superbia, ac æmulatio causantur, ut plures plura erogēt, ac expendant, quàm necessitas, aut ratio postularet, adeo, ut fortunarum vires propriarum non pensitando sumptus censum superent, & ante anni exitum de sorte sit non modicum sublatum, aut detrahendū. tot carnes, tot esculenta, tot farcimina nonne sunt gulæ superflua irritamenta, & plurimorum malorum causæ ingluuiei? & in pagis habētur carnes, vbi etiā enascuntur tot animalia, sicuti & pisces, minorique semper precio comparantur, pane autem, vino, & tecto iamdudum a nobis statutum est minimè ciuilē hominem indigere, cum nec rusticus egeat, nisi forsitā ille, qui ostiatim, dietimúe laborando hæc naturæ necessaria aucupatur. quantum autem sint superflui uestitus varij secti, resecti, intercisi, colorum centum cū tot institis, patagijs, lineis impositis, deliramentis sanè tanti precij, nedum qui ijs non vtuntur, verumetiam qui abutuntur fatentur liberè, teste experientia, eam esse damnosissimam vanitatem. &, quod ad medicū spectat, nescio an satius sit habere medicum, qui te pharmacis torqueat cum ægrotes, an non infirmari, et medico non indigere, nec medicinis; quis ruri infirmatur?

matur? ego non infirmor, ſed ſemper ibi factus ſum fortior: vbi robur, vbi fortitudo, atq; cum ea ſanitas, niſi foris ruri inter agricolas, & colonos? ſunt & ibi virtutes, ac dotes animi (niſi quòd regula exceptionē aliquam patitur) pura religio, ſincera fides, charitas inculpata: vbi nam reperitur ſpes ſemper viridis, niſi in agreſtibus hominibus? qui ſub ſpe venturæ, ac expectatæ meßis promittunt dominis tot tritici modios, cū interdum vacui, ſpeq; fruſtrati propter temporum iniurias, ſiccitatis videlicet, aquarum, aut grandinis a proprijs dominis ſæpe crudeliter torquentur, abſumuntur, dilacerantur: ibi ius ſuum cuiq; tribuitur, & ſi aliquod eſt dißidium inter illos, duo homines ſemper arbitri rem componūt: iſtic temperantia in rebus omnibus, fortitudo ſicut corporis, ſic & animi, ibiq; demum prudentia ſingularis. ſed iam tempus eſt, vt in medium proferam illam Horatij Flacci epiſtolam ad Fuſcum Ariſtium: in qua ſi nomina mutarentur, vt pro Fuſco Calcia, pro Flacco Aproynus intelligatur, non alijs verbis huiuſmodi meum negocium tractaretur. audite quæſo.

Horat. *Vrbis amatorem Fuſcum ſaluere iubemus*
Ruris amatores, hac in re ſcilicet vna
Multùm dißimiles, ad cætera penè gemelli.
Fraternis animis quidquid negat alter, & alter,
Annuimus pariter vetuli, notiq; columbi.
Tu nidum ſeruas, ego laudo ruris amœni
Riuos, & muſco cirumlita ſaxa, nemuſq;.
Quid quæris? viuo, & regno ſimul iſta reliqui,

Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo,
Et reliqua, quæ sequuntur, ad finem vsque.

Neq; grauabor referre exordium illius epistolæ Lombardi Serici, quam modò tetigit noster Quintius, cum credam grauari minùs vos audire tantum senem ita serio collocutũ, inquit itaq;. Feruet animus (cætera reliquit impreßor: tu in libro legas vsq; ad Nõnulli.) Lomb. Seric.

BVR. *Viri fratres (vnius quippe omnes collegij fratres sumus) mirandum in modum miror, cum nostrùm quilibet sit ciuis, ac vir politicus, cumq; pariter quisq; villam poßideat, nisi in suburbio, non tamẽ longinquam valde: alios ex nobis ciuitatem, alios rus efferre, præferreq; alterum alteri, cum & in vrbe cõmorari delectemur, & ruri: vt potius vtrumq; deberemus digniùs laudare, & vtilitatis, & delectationis causa: duo hæc etenim summa sunt, quæ nos hinc inde alliciunt, ac delectant, utile inquam, ac oblectamentũ, quæ duo vtrinq; interuallatis tẽporibus expiscamur.*

GE. *Quid est quòd vlterius percurramus? vt uideo hæc est summa, in ciuitate debere ciuilem hominẽ hyemare, ruri autem æstiuare. nam ille ciuis, apud quẽ est rerũ copia competentiũ, qualem esse quemlibet nostrûm non dubitabo, ille inquam debet insequi quidem vtile, sed illud, quod sit cum commodo, ac delectationẽ, vincat autem commoda delectatio vtilitatem, vt ea, quæ ad vitam sanam conducat, ac longiorem. propterea per hyemem aut nulla, aut pusilla est delectatio rusticana, cum sint ibi horrida omnia, gelu, cænum, venti, frigora, tempestates, defectus rerum plurium,*

nullæq;

nullæq; propemodum utilitates comperiantur, cum per hyemem in ciuitate sit frequentia hominum, amicorũ, rerum copia necessariarum, domus, ac domicilia arcentia temporum iniurias inæqualium. Ex altera verò parte per æstatem ruri omnia rident, omnia præcinũt, prosiliunt omnia; vel solus viriditatis aspectus, quo summopere delectamur, nos allicit, atq; ad se rapit, nõ secus ac herbidum pratum ad se equos ipsum spectantes trahit. ruri tunc deliciæ, venationes, piscationes, aucupia: ruri pariter fructus varij, frumenta, legumina, olera, simplicia omnis generis, arbusta, arbores variæ: & quod adhuc maius iudico, ruri tunc nostra inuisimus, miramur quomodo crescant, seu creuerint arbores, quos fructus proferant, quid incrementi sit additum rei nostræ familiari insitionis, plantationis, pastinationis, potationis summatim merito, ac sationis. vt cum Tibullo dicam hoc tempore,

Ferreus est heu, quisquis in vrbe manet.

Sed, qui vlterius ruris laudes expressas cupit, legat *auidè epistolam illam Alberti Lollij ad Perinatum* (Albert. Lollius.) *sexdecim chartis conclusam, & inter illas illustrium hominum epistolas publicatã, legat obsecro: nisi quòd uereor lectorẽ istum adeo tot rationibus in ruris laudẽ congestis delectaturum, vt, quẽadmodũ Albertus fecerat, relicta penitus ciuitate ille sit, ut continue lætius rusticetur, se rus penitus recæpturum; aut etiam, si in manus eius forte deuenerit libellus ille aureus miris refertus sententijs, cui titulus, Trauaglio della Corte, et riposo della Villa à Io. Bap. Grilandario de Gall* (Io. Bapt.) *versus*

versus in Italum, cui huiusmodi est finis, Posui finem curis, spes, & fortuna ualete. contemnet protinus urbem, seq; rus continuò recæptabit.

FE. *Quemadmodum omnia, quæ nunc asseris uera sentio, itidem magnopere discrucior dum considero, quinimò dum experior nos medicos vtplurimũ delectationibus huiusmodi priuos esse: quæ quidem, si hyeme obtingerent, nostræ essent: hyberno etenim tempore ægrotant pauci, cum æstiuo plurimi infirmentur, ac malè valeat, quo sanè tempore in ciuitate cogimur permanere: & nisi lucrum cogeret, cogit debitum, & charitas Christiana, & talentum illud, quod nobis fuit Deus optimus maximus impartitus.*

BVR. *Vtcunq; tunc temporis res ceciderint, Ego relictis omnibus curis, meisq; ægrotantibus in alterius medici manibus consignatis Villam reuiso: atq; cum uniuersa mea familia in illa commoror: in ista inquã vbi nunc sumus: nec unquam me pænituit operis medici precium amisisse, seu cessisse alteri, dum autumni præsertim tempore hic inhabito, hac, istac uagor, & spacior, fructus, uuasq; seligo, uinnm fieri iubeo ex meo arbitratu: equito per huiusmodi planities delectabiles, prædia mea alia, huius maximè tractus, inuisendo, Paternianum scilicet, Cusinianiũ, et S. Andrati: altera tribus millibus passuum, alterum quinq; hinc distantia; non etenim mense illo Septembri video lucrũ tale, quantũ uis amplũ, quod me ualeat ab hmõi Charitatis delicijs, atq; utilitatibus sequestrare, tanti facio libertatẽ non bene pro toto mundi auro alienatã.*

Me

Hieron. Vida. Anton. Cerrut.

Me me rura iuuant mea, Optatoq; diu perfruor ocio.
Hier. Vida scriptum reliquit, & Anton. Cerrutus.

Turbam vito leuem, mœniaq; vrbium
Curis plena, malisq; ambitionibus:
Gratum rus habito solus, & inscius
Diræ sollicitudinis. &c.

AP. *Iurè, meritòq; istud facis, ò Burchelate, nec abuteris hoc pacto, ut nonnulli autumant, sed frueris libertate: etenim si huius nostræ quæstionis arbiter fierem, talis esset, audite sententia mea. Ciuilis homo rerum non indigus neceßariarum per interualla habitet rus, habitet pariter & ciuitatē, talia autem statuerim interualla, quòd toto hyemis tēpore, ab ingressu sanè Nouembris, plus, minus, vsq; ad Martij exitū, et, si maluerit, ad Aprilis in ciuitate contentus distineatur, mense autem Maio illo delectabili commodè rusticetur, floribus, frondibus, aperto aëre exhilarans, gaudens fructibus nonnullis, venatione, aucupio, salubri exercitio, vescens nōnunquam recentibus caseis, recoctis agnis, hædis, ac vitulis: & si aliquid desit, ab vrbe non procul petat: dummodo per tres subsequētes menses, vt dicebam, plus, minusúe, in vrbem conuersus, ibi commorans ardentes Sirij radios fugiat. Sol mediū cæli conscenderat igneus orbem, dicebat Maro, vt captet frigus opacum, nostrarum inquam domuū, hortorū, consitorū, pergularū, arborū medio: secus aliquem aquæ decursum victitans cum amicis suis, fugiens pariter ruris pulueres, & expectās segetes, illas in horrea locaturus. quòd si quis dixerit, & ruri domus*

Virg.

mus esse, & hortos, & viridaria, & pergulas, & aquas labiles: respondeo esse ueluti carcerem quendam dum Sol profectus est altiùs, & ambulatio est eo tempore quædam vstio; & desunt amici, & voluptates, nisi dolore emptas, labore, sudore, & puluere; tunc etenim pauci admodum ciuiles homines rusticantur: ad cuius rei propositum iuuat referre modò Hieronymi Schalæ doctissimi Ciuis nostri poëma elegum ad Amicos suos tunc destinatum. quorum quippe uosmet seniores cum defunctis coëtaneis præcipuam partem prædicat, dum in Suburbano illo suo Murbiano solus æstiuo tẽpore ad Silis nostri margines morabatur. en, audite.

Amicorum Desyderium. Hieron. Schala.

AH valeat quicunq; auri, quicunq; smaragdi
Miratus speciem viuere in vrbe cupit:
Illi grata fori conuicia, grata clientum
Turba sit, & miris prodita iura modis:
Idem puniceo tumidus spectetur in ostro,
Sit populi votis aura secunda suis.
Dum properat sitiens ad summos repere honores,
Sisyphiam molem nocte, dieq; petens.
At nos Rura iuuant, diuiniq; ocia Ruris,
Ocia diuitijs anteferenda Tagi.
Hinc nemorum sacræq; vmbræ, sacriq; recessus,
Et sacri fontes, & vada sacra Silis.
Hic choreas Dryadum plaudit chorus ordine longo,
Corniger hinc Faunus, Capripedumq; genus.
Alma Ceres ruri fruges, messemq; ministrat,
Ruri itidem succos cogis Iacche tuos.

V Hinc

Hinc varios volucres cantus, variosq; susurros,
Et veniente mouent, & fugiente die.
Adde tot his florum species, gemmasq; micantes,
Serta quibus capiti texere Nais amat.
Suaue rosis halant horti vndiq;, suaue hyacinthi,
Narcißi lachrymis, purpureis violis:
Adde amnis patrij cymba percurrere flexus,
Et nitidos pisces fallere mille modis:
Hos hami figunt, hos viminei labyrinthi
Impediunt, illos humida lina trahunt:
Immo age simplicitas viuendi mira, salubres
Agricolis succos rura beata ferunt.
Non emptis mensæ dapibus stant. eruta sulcis
Et proprijs parco cum sale cæpa venit:
Alliaq;, & summo reflexa cucurbita tecto,
Et maluæ, & fibris intyba amara suis.
Serpillum grauiter spirans, & cætera, quæ non
Mutaret siculis rustica turba cibis.
Pallentes procul hinc morbi, & quàm plurima morbi
Causa, dolor tristis, curaq; crux animi.
Forma puellarum non est mentita colores,
Mendosos operit nec stola longa pedes,
Festas lætus agit luces de more colonus,
In viridi ludos gramine fusus agit:
Mox gratam donat pomo ad carecta latentem
Phyllida, pro pomis oscula grata refert;
Et quæ nescierim ruris iucunda referre,
Commoda, iucundis & bona mixta iocis:
Ah rursus valeantq; lacus, riuiq; perennes,

Et

Et Syluæ valeant, Syluicolæq; Dei:
Dispeream, vestris capior si rura beatis
Muneribus, nobis si bona vestra placent;
Quid Cereris fruges, quid pinguia musta Lyæi,
Quid quæ mala micant, aurea ab arboribus.
Egressus quando Turritæ è molibus vrbis
Exulo cum de tot nullus amicus adest:
Tanta voluptatum nil prodest copia, amici
Absunt, pars & abest dimidia ipsa mei:
En Varagus vbi. patris quem nomine dignor **Franc. Varag.**
Prosequitur patrio me quia amore senex?
Et Tuscanus vbi. quo non iucundior alter,
Quo mihi non oculus carus vterq; mage est?
Vos etiam, docuit quos Phœbus ferre salutem
Ægris, & morbos pellere posse graues:
Nunc labor assiduus cogit tota vrbe vagari,
Cogit & immensas ire, redire vias:
Vos ego, carminibus faueant si numina nostris
Pieridum, nulla parte latere sinam:
Et rigido vestrum cognoscet nomen in Istro
Dacus, & Eoo Sole perustus Arabs:
Et rectè fecisse ferar pro munere vitæ
Æternum vobis viuere, qui, dederim:
Huc desiderium dulcis, doctæq; cohortis,
Huc reuocat sermo doctus, & ipse Iocus:
Migrandum. faciem tandem redeamus ad vrbis,
Iam secet, & liquidas lynter itura vias.

Præterea (ut ad interfectum filum, pensumq; meum finiendum reuertar) exeunte Augusto usq; ad exitũ

 Octobris,

Octobris, nempe circa nundinas Taruisinas, uellem, ut ciuis huiusmodi liber homo rura, uillas, & pagos, & uel casas inhabitaret, in illis moraretur, distineretur, & toto illo delectabili non minus, atq; utili temporis curriculo ibidem uagans, gaudésq; detineretur: sicq; collectis fructibus, & quæcunq; superērint, reuersus in urbanam domum, alterum anni simile curriculum introiret.

BVR. *Quàm lætatus perinde, ac delectatus fui memoria, & carmine Clarißimi Schalæ Præceptoris mei nunquam (ut nostis omnes) laudati satis: cuius opera metrica, pedestriq; oratione composita utinam proferrentur in lucem, quò tantum Poetam, tantumq; Oratorem præsentes, ac posteri docti homines meritò admirarentur, quod autem ad rem nostram spectat, Ego ampliorem, Aproyne, te daturum decisionem imaginabar, nempe, quòd cui cordi est actiua uita, ille commoretur in ciuitate, quem autem delectat contēplatiua, hic ruri sequestris habitet, ac remotus: cum in urbe uersentur negocia, ruri autem solitudo, & ocia dominentur, commoda admodum grata philosophantibus, & scribentibus, unde est dictum,*

Horat. *Carmina secessum scribentis, & ocia quærunt.*

Nihilominus stare ego decretis tuis, quinimò, dum potero, illa prorsus me in posterum seruaturum promitto.

FE. *Equidem non inficior Aproynū optimè terminasse, hoc excepto, quòd id solum ualet, aut ualere potest in ijs hominibus, qui nullis impediantur negocijs Ciuitatis, aut Reip. cum nihilominus pauci admodū*

ciues

ciues comperiantur, qui ciuitati iure aliquo nõ ſint addicti, ſiue obligati: nobiles gradibus inſeruiunt, honoribus, oneribus Reip. itidem alij ciues, qui etiam pluribus officijs occupantur: iudices, iuriſtæ, cauſidici per Palatia: quemadmodũ & Tabelliones, & litigantes ſunt implicati: de Medicis iam eſt dictũ: de mercatoribus, & artificibus non eſt quod dicamus, quia dum ſatagunt ditari; non ſunt ſui iuris; rectè Natalis Comitũ colloquendo cum paupertate ſic aliquãdo dictitabat;

Tu facis, vt ſæuum frigus patiatur, & æſtum Natal. Com.
Nauita, vt Eoas æquore portet opes,
Intrepidus ventos dubios, & ſydera cæli
Diſcat, qui æquoreas ante timebat aquas.

Neq; his ſæpe, neq; ex nunc dictis alijs pluribus adſunt villæ propriæ, in quibus, quantumuis poſſent, deberent ijs temporibus detineri; præterquam quòd ſunt multi, vt ſcitis, qui tametſi prædia poßideant delectabilia, & grandiora, nihilominus ruſticatione nihil penitus delectantur; quapropter neſcio cuinam obſeruãda fuerit data regula.

AP. *Ad hanc rem (ni fallor) niſi ego penitus collimaui, certe non multum à longinquo me ſcopum ſuſpicor attigiſſe. Quapropter non eſt ignorandum quòd omnium fermè rerum eſt quædam ratio, quædã regula, veluti illa Policleti, recta ſanè, quin rectißima, non propterea omnes eam adamußim obſeruant, nec idcircò, qui parum ab illa recedunt, malè agunt, ſed qui longiùs, ac indirectè. Sat mihi ſit in præſentia regulam quandam ſic præſcripſiſſe, cui accedens*

ciuilis

nisi vobiscum essem carißimi, statim in vrbem protinus euolarem.

QV. *O bone Calcia, quanta nam ciuitatis commoda congeßisti? Equidem fateor, neq; fortasse fateri mecum verebitur Aproynus, verißima esse, quæ ipse dixeris: nihilominus, si huius Iconis altera spectetur facies, plurima etiam incommoda, seu malimus vitia nominare, erit nobis integrum admirari. vbi nam, amabò, scelerum omnia genera, furta, rapinæ, doli, sacrilegia, proditiones, occisiones, incendia, funera? in ciuitate. vbi lenocinia, concubinatus, adulteria, stupra, incestus, aliaq; vitia innominanda? in ciuitate inquam. ibi septem illa mortalia uitia continuè crassantur, superbia, inuidia, ira, auaritia, accidia, luxuria, gula; adhæc ambitio istic, odiū, murmuratio, maledicentia, & detractio clandestina dominantur. præterea velit aliquis studijs, ac pangendis carminibus, siue alijs compositionibus distineri, non datur ei tutus in vrbe locus.*

Horat. *Festinat calidus mulis, gerulisq; redemptor,*
Torquet, nunc lapidē, nunc ingens machina tignū.
Tristia robustis luctantur funera plaustris.
Hàc rabiosa fugit canis, hàc lutulenta ruit sus,
I nunc, & versus tecum meditare canoros.

Dixerat Flaccus ad Florum, & paulò ante,
Præter cætera Romæ me ne poemata censes,
Scribere posse inter tot curas, totq; labores?

Prætereo valetudines aduersas, curas, fastidia, passiones, paupertates, miserias, desperationes: usqueadeo,

vt si pari lance pendantur commoda, atq; incommoda ciuitatis, vtra dipendant, seu propendant, haud facile fuerit affirmare. Sed quid prohibet ea referre, quæ eximius Petrarca dixerat in insigni illa epistola Lombardo Serico destinata? audite quæso. At plurimi (veh miseri) in vrbibus vitam degunt, vbi inuisibiles animorum flammæ, & incendia vitiorum omnium æstuant; & ad summum quot sunt vrbes, totidem sunt sentinæ libidinum, ac scelerum officinæ. Vbi enim quæso, præterquam in vrbe, voluptates fœdæ habitant? Vbi lenocinia, & prostrata paßim pudicitia, calcata verecundia, pulsus decor? Vbi stupra, et adulteria, et incestus, atq; omnis generis corruptelæ? Vbi fraudes, vbi doli, simulatiq; contractus, & suppositi partus, & expositi, & hæredis ad nutum composita testamenta? Vbi furta, & rapinæ? Vbi periuria, & periculosa mendacia, & corrupti iudices, infidi notarij, falsi testes, & inter iustitiæ patronos oppressa iustitia? Vbi ad vltimum vana lætitia, verus dolor? Vbi inanis gloria, verum dedecus? Vbi luxus, & gula inexplebilis, & mæsta pauperies, & sollicitæ, operosæq; diuitiæ, & voracißimum fœnus, et pomparum strepitus? Vbi mons superbiarũ, vallis formidinum, palus libidinum, sylua negotiorum, & mare miseriarum, & tempestates litium, & errorum nubes, & puteus odiorum? Vbi imber aßiduus lachrymarum? Vbi ex æquo risus, ac luctus inconditus, & querelæ, & clamores, et contentiones, & iurgia amara, & mellitæ, venenosæq; blanditiæ, & susurri infames,

Fr. Pet. Lomb. Seric.

mes, & clandestini morsus, & iurgia partium sine fine flammantia? Vtq; omnia simul stringam? ubi uirtutum fuga, & imperium peccati omnis? ubi & patentes inimicitiæ, & occultæ, & fraudum tendiculæ, & insidiæ capitales, & ueneficia, & cædes, & quicquid mali homo in hominem molitur? Multa ecce, necdum omnia diximus. Qui hæc, & quæ sunt huiusmodi cernere expetit, vel audire, non longa est via: proximam vrbem petat. Quæcunq; illa sit, quamuis angusta, quamuis amplissima, & plenam talium inueniet, & capacem horum certe, atq; maiorum, & omnium malorum; adeo quod ciuitas, quæ ad tutelã humani generis facta erat, ad eiusdem excidium uersa est. adhuc Petrarca, cum & alibi plura se dixisse asserat hac de causa: & ad finem huius epistolæ etiã multa subscribat.

AP. Ago gratias, Quinti optime, quòd mihi dimidium laboris subtraxeris ostendendo Ciuitatis incommoda, vitia, & passiones: restat modo, vt tot illa de vrbanis illis commoditatibus à Calcia magnificè recensita, ego parum animaduertam demonstrans alia mala esse potius quàm bona alia nullius momenti, quædam non esse ruri necessaria, nec opportuna, nec cõmodi nomine digna, quædam postremò potiora esse ruri, & infra magalia, quàm intra mœnia, per plateas, per prætoria. illud primum notare libeat, quòd vrbana illa vocata commoda, edulia nempe cuiusq; generis, pretiosæ vestes, palatia, & talia non nulla ad destruendum nõ tantum pauperem, sed mediocris,

quin

quin & bonæ conditionis, ac fortunæ ciuem constructa sunt, Natura paucis, atq; ijs minimis est contenta, Horat.
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
Quîs humana minus potuit natura negatis, d.t ille,
& ille, Discite pauperiem facilē tolerare: videtis, Nat.Co.
Quàm paruis gaudent corpora nostra cibis.
Rerum autem præsentia, & copia, atq; ciuium superbia, ac æmulatio causantur, ut plures plura erogēt, ac expendant, quàm necessitas, aut ratio postularet, adeo, ut fortunarum vires propriarum non pensitando sumptus censum superent, & ante anni exitum de sorte sit non modicum sublatum, aut detrahendū. tot carnes, tot esculenta, tot farcimina nonne sunt gulæ superflua irritamenta, & plurimorum malorum causæ ingluuiei? & in pagis habētur carnes, vbi etiā enascuntur tot animalia, sicuti & pisces, minorique semper precio comparantur, pane autem, vino, & tecto iamdudum a nobis statutum est minimè ciuilē hominem indigere, cum nec rusticus egeat, nisi forsitā ille, qui ostiatim, dietimúe laborando hæc naturæ necessaria aucupatur. quantum autem sint superflui uestitus varij secti, resecti, intercisi, colorum centum cū tot instìtis, patagijs, lineis impositis, deliramentis sanè tanti precij, nedum qui ijs non vtuntur, verumetiam qui abutuntur fatentur liberè, teste experientia, eam esse damnosissimam vanitatem. &, quod ad medicū spectat, nescio an satius sit habere medicum, qui te pharmacis torqueat cum ægrotes, an non infirmari, et medico non indigere, nec medicinis; quis ruri infirmatur?

matur? ego non infirmor, ſed ſemper ibi factus ſum fortior: vbi robur, vbi fortitudo, atq; cum ea ſanitas, niſi foris ruri inter agricolas, & colonos? ſunt & ibi virtutes, ac dotes animi (niſi quòd regula exceptionẽ aliquam patitur) pura religio, ſincera fides, charitas inculpata: vbi nam reperitur ſpes ſemper viridis, niſi in agreſtibus hominibus? qui ſub ſpe venturæ, ac expectatæ meßis promittunt dominis tot tritici modios, cũ interdum vacui, ſpeq; fruſtrati propter temporum iniurias, ſiccitatis videlicet, aquarum, aut grandinis a proprijs dominis ſæpe crudeliter torquentur, abſumuntur, dilacerantur: ibi ius ſuum cuiq; tribuitur, & ſi aliquod eſt dißidium inter illos, duo homines ſemper arbitri rem componũt: iſtic temperantia in rebus omnibus, fortitudo ſicut corporis, ſic & animi, ibiq; demum prudentia ſingularis. ſed iam tempus eſt, vt in medium proferam illam Horatij Flacci epiſtolam ad Fuſcum Ariſtium: in qua ſi nomina mutarentur, vt pro Fuſco Calcia, pro Flacco Aproynus intelligatur, non alijs verbis huiuſmodi meum negocium tractaretur. audite quæſo.

Horat.

Vrbis amatorem Fuſcum ſaluere iubemus
Ruris amatores, hac in re ſcilicet vna
Multùm dißimiles, ad cætera penè gemelli.
Fraternis animis quidquid negat alter, & alter,
Annuimus pariter vetuli, notiq; columbi.
Tu nidum ſeruas, ego laudo ruris amœni
Riuos, & muſco cirumlita ſaxa, nemuſq;.
Quid quæris? viuo, & regno ſimul iſta reliqui,

Quæ

Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo,
Et reliqua, quæ sequuntur, ad finem vsque.

Neq; grauabor referre exordium illius epistolæ Lombardi Serici, quam modò tetigit noster Quintius, cum credam grauari minùs vos audire tantum senem ita serio collocutũ, inquit itaq;. Feruet animus (cætera reliquit impreßor: tu in libro legas vsq; ad Nõnulli.) Lomb. Seric.

BVR. *Viri fratres (vnius quippe omnes collegij fratres sumus) mirandum in modum miror, cum nostrùm quilibet sit ciuis, ac vir politicus, cumq; pariter quisq; villam poßideat, nisi in suburbio, non tamẽ longinquam valde: alios ex nobis ciuitatem, alios rus efferre, præferreq; alterum alteri, cum & in vrbe cõmorari delectemur, & ruri: vt potius vtrumq; deberemus digniùs laudare, & vtilitatis, & delectationis causa: duo hæc etenim summa sunt, quæ nos hinc inde alliciunt, ac delectant, utile inquam, ac oblectamentũ, quæ duo vtrinq; interuallatis tẽporibus expiscamur.*

GE. *Quid est quòd vlterius percurramus? vt uideo hæc est summa, in ciuitate debere ciuilem hominẽ hyemare, ruri autem æstiuare. nam ille ciuis, apud quẽ est rerũ copia competentiũ, qualem esse quemlibet nostrûm non dubitabo. ille inquam debet insequi quidem vtile, sed illud, quod sit cum commodo, ac delectatione, vincat autem commoda delectatio vtilitatem, vt ea, quæ ad vitam sanam conducat, ac longiorem. propterea per hyemem aut nulla, aut pusilla est delectatio rusticana, cum sint ibi horrida omnia, gelu, cænum, venti, frigora, tempestates, defectus rerum plurium,*

nullæq;

nullæq; propemodum utilitates comperiantur, cum per hyemem in ciuitate sit frequentia hominum, amicorũ, rerum copia necessariarum, domus, ac domicilia arcentia temporum iniurias inæqualium. Ex altera verò parte per æstatem ruri omnia rident, omnia præcinũt, prosiliunt omnia; vel solus viriditatis aspectus, quo summopere delectamur, nos allicit, atq; ad se rapit, nõ secus ac herbidum pratum ad se equos ipsum spectantes trahit. ruri tunc deliciæ, venationes, piscationes, aucupia: ruri pariter fructus varij, frumenta, legumina, olera, simplicia omnis generis, arbusta, arbores variæ: & quod adhuc maius iudico, ruri tunc nostra inuisimus, miramur quomodo crescant, seu creuerint arbores, quos fructus proferant, quid incrementi sit additum rei nostræ familiari insitionis, plantationis, pastinationis, potationis summatim merito, ac sationis. vt cum Tibullo dicam hoc tempore,

Ferreus est heu, quisquis in vrbe manet.

Sed, qui vlteriùs ruris laudes expressas cupit, legat

Albert. Lollius. auidè epistolam illam Alberti Lollij ad Perinatum sexdecim chartis conclusam, & inter illas illustrium hominum epistolas publicatã, legat obsecro: nisi quòd uereor lectorẽ istum adeo tot rationibus in ruris laudẽ congestis delectaturum, vt, quẽadmodũ Albertus fecerat, relicta penitus ciuitate ille sit, ut continue lætiùs rusticetur, se rus penitus recæpturum; aut etiam, si in manus eius forte deuenerit libellus ille aureus miris refertus sententijs, cui titulus, Trauaglio della Corte,

Io. Bapt. Grilan. et riposo della Villa à Io. Bap. Grilandario de Gallo

versus

versus in Italum, cui huiusmodi est finis, Posui finem curis, spes, & fortuna ualete. contemnet protinus urbem, seq; rus continuò receptabit.

FE. *Quemadmodum omnia, quæ nunc asseris uera sentio, itidem magnopere discrucior dum considero, quinimò dum experior nos medicos vtplurimũ delectationibus huiusmodi priuos esse: quæ quidem, si hyeme obtingerent, nostræ essent: hyberno etenim tempore ægrotant pauci, cum æstiuo plurimi infirmentur, ac malè valeāt, quo sanè tempore in ciuitate cogimur permanere: & nisi lucrum cogeret, cogit debitum, & charitas Christiana, & talentum illud, quod nobis fuit Deus optimus maximus impartitus.*

BVR. *Vtcunq; tunc temporis res ceciderint, Ego relictis omnibus curis, meisq; ægrotantibus in alterius medici manibus consignatis Villam reuiso: atq; cum uniuersa mea familia in illa commoror: in ista inquã vbi nunc sumus: nec unquam me pænituit operis medici precium amisisse, seu cessisse alteri, dum autumni præsertim tempore hic inhabito, hac, istac uagor, & spacior, fructus, uuasq; seligo, uinnm fieri iubeo ex meo arbitratu: equito per huiusmodi planities delectabiles, prædia mea alia huius maximè tractus, inuisendo, Paternianum scilicet, Cusinianũ, et S. Andrati: altera tribus millibus paßuum, alterum quinq; hinc distantia; non etenim mense illo Septembri video lucrũ tale, quantũ uis amplũ, quod me ualeat ab hmõi Charitatis delicijs, atq; utilitatibus sequestrare, tanti facio libertatẽ non bene pro toto mundi auro alienatã.*

Me

Hieron. Vida. Me me rura iuuant mea, Optatoq; diu perfruor ocio.
Hier. Vida scriptum reliquit, & Anton. Cerrutus.
Anton. Cerrut. Turbam vito leuem, mœniaq; vrbium
Curis plena, malisq; ambitionibus:
Gratum rus habito solus, & inscius
Diræ sollicitudinis. &c.

AP. Iurè, meritòq; istud facis, ò Burchelate, nec abuteris hoc pacto, ut nonnulli autumant, sed frueris libertate: etenim si huius nostræ quæstionis arbiter fierem, talis esset, audite sententia mea. Ciuilis homo rerum non indigus necessariarum per interualla habitet rus, habitet pariter & ciuitatē, talia autem statuerim interualla, quòd toto hyemis tēpore, ab ingressu sanè Nouembris, plus, minus, vsq; ad Martij exitū, et, si maluerit, ad Aprilis in ciuitate contentus distineatur, mense autem Maio illo delectabili commodè rusticetur, floribus, frondibus, aperto aëre exhilarans, gaudens fructibus nonnullis, venatione, aucupio, salubri exercitio, vescens nōnunquam recentibus caseis, recoctis agnis, hædis, ac vitulis: & si aliquid desit, ab vrbe non procul petat: dummodo per tres subsequētes menses, vt dicebam, plus, minusúe, in vrbem conuersus, ibi commorans ardentes Sirij radios fugiat. Sol
Virg. mediū cæli conscenderat igneus orbem, dicebat Maro. vt captet frigus opacum, nostrarum inquam domuū, hortorū, consitorū, pergularū, arborū medio: secus aliquem aquæ decursum victitans cum amicis suis, fugiens pariter ruris pulueres, & expectās segetes, illas in horrea locaturus. quòd si quis dixerit, & ruri do-

mus

mus esse, & hortos, & viridaria, & pergulas, & aquas labiles: respondeo esse ueluti carcerem quendam dum Sol profectus est altiùs, & ambulatio est eo tempore quædam vstio, & desunt amici, & voluptates, nisi dolore emptas, labore, sudore, & puluere; tunc etenim pauci admodum ciuiles homines rusticantur: ad cuius rei propositum iuuat referre modò Hieronymi Schalæ doctissimi Ciuis nostri poëma elegum ad Amicos suos tunc destinatum. quorum quippe uosmet seniores cum defunctis coëtaneis præcipuam partem prædicat, dum in Suburbano illo suo Murhiano solus æstiuo tēpore ad Silis nostri margines morabatur. en, audite. *Amicorum Desyderium.*

AH valeat quicunq; auri, quicunq; smaragdi *Hieron. Schala.*
Miratus speciem viuere in vrbe cupit:
Illi grata fori conuicia, grata clientum
Turba sit, & miris prodita iura modis:
Idem puniceo tumidus spectetur in ostro,
Sit populi votis aura secunda suis.
Dum properat sitiens ad summos repere honores,
Sisyphiam molem nocte, dieq; petens.
At nos Rura iuuant, diuiniq; ocia Ruris,
Ocia diuitijs anteferenda Tagi.
Hinc nemorum sacræq; vmbræ, sacriq; recessus,
Et sacri fontes, & vada sacra Silis.
Hîc choreas Dryadum plaudit chorus ordine longo,
Corniger hinc Faunus, Capripedumq; genus.
Alma Ceres ruri fruges, messemq; ministrat,
Ruri itidem succos cogis Iacche tuos.

Hinc varios volucres cantus, variosq; susurros,
Et veniente mouent, & fugiente die.
Adde tot his florum species, gemmasq; micantes,
Serta quibus capiti texere Nais amat.
Suaue rosis halant horti vndiq; , suaue hyacinthi,
Narcissi lachrymis, purpureis violis:
Adde amnis patrij cymba percurrere flexus,
Et nitidos pisces fallere mille modis:
Hos hami figunt, hos viminei labyrinthi
Impediunt, illos humida lina trahunt:
Immo age simplicitas viuendi mira; salubres
Agricolis succos rura beata ferunt.
Non emptis mensæ dapibus stant. eruta sulcis
Est proprijs parco cum sale cæpa venit:
Alliaq; , & summo reflexa cucurbita tecto,
Et maluæ, & fibris intyba amara suis.
Serpillum grauiter spirans, & cætera, quæ non
Mutaret siculis rustica turba cibis.
Pallentes procul hinc morbi, & quàm plurima morbi
Causa, dolor tristis, curaq; crux animi.
Forma puellarum non est mentita colores,
Mendosos operit nec stola longa pedes,
Festas lætus agit luces de more colonus,
In viridi ludos gramine fusus agit:
Mox gratam donat pomo ad carecta latentem
Phyllida, pro pomis oscula grata refert;
Et quæ nescierim ruris iucunda referre,
Commoda, iucundis & bona mixta iocis:
Ah rursus valeantq; lacus, riuiq; perennes,

Et Syluæ valeant, Syluicolæq; Dei:
Dispeream, vestris capior si rura beatis
Muneribus, nobis si bona vestra placent;
Quid Cereris fruges, quid pinguia musta Lyæi,
Quid quæ mala micant, aurea ab arboribus.
Egressus quando Turritæ è molibus vrbis
Exulo cum de tot nullus amicus adest:
Tanta voluptatum nil prodest copia, amici
Absunt, pars & abest dimidia ipsa mei:
En Varagus vbi. patris quem nomine dignor Franc. Varag.
Prosequitur patrio me quia amore senex?
Et Tuscanus vbi. quo non iucundior alter,
Quo mihi non oculus carus vterq; mage est?
Vos etiam, docuit quos Phœbus ferre salutem
Ægris, & morbos pellere posse graues:
Nunc labor assiduus cogit tota vrbe vagari,
Cogit & immensas ire, redire vias:
Vos ego, carminibus faueant si numina nostris
Pieridum, nulla parte latere sinam:
Et rigido vestrum cognoscet nomen in Istro
Dacus, & Eoo Sole perustus Arabs:
Et rectè fecisse ferar pro munere vitæ
Æternum vobis viuere, qui, dederim:
Huc desiderium dulcis, doctæq; cohortis,
Huc reuocat sermo doctus, & ipse Iocus:
Migrandum: faciem tandem redeamus ad vrbis,
Iam secet, & liquidas lynter itura vias.

Præterea (ut ad interfectum filum, pensumq; meum finiendum reuertar) exeunte Augusto usq; ad exitũ

 Octobris,

Octobris, nempe circa nundinas Taruisinas, uellem, ut ciuis huiusmodi liber homo rura, uillas, & pagos, & uel casas inhabitaret, in illis moraretur, distineretur, & toto illo delectabili non minus, atq; utili temporis curriculo ibidem uagans, gaudésq; detineretur. sicq; collectis fructibus, & quæcunq; superent, reuersus in urbanam domum, alterum anni simile curriculum introiret.

BVR. *Quàm lætatus perinde, ac delectatus fui memoria, & carmine Clarißimi Schalæ Præceptoris mei nunquam (ut nostis omnes) laudati satis: cuius opera metrica, pedestriq; oratione composita utinam proferrentur in lucem, quò tantum Poetam, tantumq; Oratorem præsentes, ac posteri docti homines meritò admirarentur, quod autem ad rem nostram spectat, Ego ampliorem, Aproyne, te daturum decisionem imaginabar, nempe, quòd cui cordi est actiua uita, ille commoretur in ciuitate, quem autem delectat contẽplatiua, hic ruri sequestris habitet, ac remotus: cum in urbe uersentur negocia, ruri autem solitudo, & ocia dominentur, commoda admodum grata philosophantibus, & scribentibus, unde est dictum,*

Horat. *Carmina secessum scribentis, & ocia quærunt.*
Nihilominus stare ego decretis tuis, quinimò, dum potero, illa prorsus me in posterum seruaturum promitto.

FE. *Equidem non inficior Aproynũ optimè terminasse, hoc excepto, quòd id solum ualet, aut ualere potest in ijs hominibus, qui nullis impediantur negocijs Ciuitatis, aut Reip. cum nihilominus pauci admodũ*

ciues

ciues comperiantur, qui ciuitati iure aliquo nõ sint addicti, siue obligati: nobiles gradibus inseruiunt, honoribus, oneribus Reip. itidem alij ciues, qui etiam pluribus officijs occupantur: iudices, iuristæ, causidici per Palatia: quemadmodũ & Tabelliones, & litigantes sunt implicati: de Medicis iam est dictũ: de mercatoribus, & artificibus non est quòd dicamus, quia dum satagunt ditari; non sunt sui iuris; rectè Natalis Comitũ colloquendo con paupertate sic aliquãdo dictitabat;

Tu facis, ut sæuum frigus patiatur, & æstum Natal. Com.
Nauita, ut Eoas æquore portet opes,
Intrepidus ventos dubios, & sydera cœli
Discat, qui æquoreas ante timebat aquas.

Neq; his sæpe, neq; ex nunc dictis alijs pluribus adsunt villæ propriæ, in quibus, quantumuis possent, deberent ijs temporibus detineri; præterquam quòd sunt multi, ut scitis, qui tametsi prædia poßideant delectabilia, & grandiora, nihilominus rusticatione nihil penitus delectantur; quapropter nescio cuinam obseruãda fuerit data regula.

AP. *Ad hanc rem (ni fallor) nisi ego penitus collimaui, certe non multum à longinquo me scopum suspicor attigiße. Quapropter non est ignorandum quòd omnium fermè rerum est quædam ratio, quædã regula, veluti illa Policleti, recta sanè, quin rectißima, non proptereà omnes eam adamußim obseruant, nec idcircò, qui parum ab illa recedunt, malè agunt, sed qui longiùs, ac indirectè. Sat mihi sit in præsentia regulam quandam sic præscripsisse, cui accedens*

ciuilis homo valeat sub diuersis temporibus modò rus, modò vrbem inhabitare, illisq; continuè delectari, ad instar Lachetis illius Terentiani, quem suburbanitas tantoperè delectabat, sic dicentis.

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neq; agri, neq; vrbis odium me vnquam percipit:
Vbi satietas cœpit fieri, commuto locum.

Et hæc nunc obsecro satis sunto; aliàs, si libuerit, librorum adminiculo res huiusmodi ad viuum nobis veniet dissecanda.

Finis Quæstionis de Ciuili Rusticatione.



QVÆSTIO QVINTA.
De Rerum omnium Vanitate.

CAL.



ANITAS *vanitatum, & omnia vanitas dixit Ecclesiastes filius David Regis Hierusalem sapientißimus. Ille inquam aut ueritatem hoc dicterio locutus fuit, aut mendaciũ, & falsitatem: non quidem mendacium, quandoquidem non sapiens, sed insipiens, ac malignus habendus eßet, ergo verum, veluti tot alia mirabilia est prolocutus, adeo, vt sapientis absolutè prolato nomine, Salomon absque hæsitatione aliqua intelligatur; vt autem istud facile comprobetur, nullo alio argumentationis genere vtendum censeo, quàm illo à græcis vocato* σώρπκ, *quod est coaceruatio, & inductio rerũ consimilium attestantium quodcunque volueris comprobare: quali sanè vsus est argumento Ecclesiastes Rex Israel, qui disposuit, animo sapienter quærere, atque omni industria inuestigare de omnibus quæ sub sole fiunt: quam occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea, adeo, vt sæpe, ac sæpius sic, vel paulò secus exclamet. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. In hac autem vanitate mea, Viri vanißimi, si aliquorum vanitates coaceruabo, & plura dixero, ab alijs iam* Eccles. Salom.

antea

antea sæpe dictis, vel miremini, vel non miremini, certè est vanitas. An ignoratis itaque, quòd sapiens
Salom. *dixit, quid est quod fuit? ipsum, quod futurum est: quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum erit; Nihil sub sole nouum, nec valet quisque dicere, ecce hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ ante nos extiterunt. Non est priorum memoria, sed nec eorum, quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo: hinc luce clarius contemplamini præsentis orationis meæ vanitatem, nanque si male locutus fuero, certè est vanitas, sin autem bene, & hæc vanitas, nam labor huiusmodi, atque hæc oratio post breue temporis spaciũ à futurorum memoria est facile oblitteranda: Et si per decennium recordati fuerint, non per quinquagenium, & si per quinquagenium, non per centenium, & si etiam per centenium, non autem per millenium: ast si & per centenium, & per millenium futuri homines recordentur, tandiu etenim & vltra mundum esse duraturũ arbitror, quid mihi proderit?*
Tibul. *Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in vmbram,*
Candidaq; ossa super nigra fauilla teget,
Vel sentio isthac mortuus, vel non sentio: si non sentio, nihil est, ꝙ excrucier, aut gaudeam, ꝙ occidant, vel supersint opera mea, lucubrationes meæ: Sin autem sentio, illa legent, quiqui illi fuerint, vel docti, vel ignorantes, vel stolidi: sapientes laudabunt in hoc opus meum, in altero non laudabunt, imo carpent, ac morsicabunt: indocti spernent, ac respuent, insi-

pientes ridebunt, ac deridebunt. Ego autem mortuus loqui non possum, lingua etenim, & cerebrum fons omnium sensuum, cum reliquis membris in terra consumpta sunt, & forsan dispersa, me igitur haudquaquã possum tueri: q. si possemus defuncti, non tanta fuit inter Angelos in cœlis pugna, neque tam magnum unquam inter homines in terris bellum, quanta forent inter scriptores vita functos, & legentes superstites detractores disceptationes, contentiones, ac prælia. Summi hominum, vt legimus, nedum viuentes demorsi sunt, sed mortui insultationibus innumeris, ac obbrobrijs dilaniati. Aristoteles carpsit alios, ipsum tot alij, sic Plato, sic Galenus, sic Cicero, sic Homerus, sic Ennius, sic Virgilius: sic itidẽ Platonem, Galenum, Ciceronem, Homerum, Ennium, Virgilium alij acriter momordêre, in quos alios alij postmodum inuehuntur, atque in hos alij, ò summa vanitas. Sacri Doctores, & ueluti Ecclesiæ cardines, nemo ignorat, quãtum à prauis hæreticis, Apostatis, Ethnicis, ac Lutheranis inceßantur, abnegantur, spernuntur, dilacerãtur. Quid sciant mortui, quid hic de illis dicatur, vt dixeram, ignoramus, tametsi aliqui aßeuerent eos scire: non aliter atque illi, qui astruunt aquis enecatos, ac obrutos dulcem experiri mortem, cum id non valeant, nisi experti, affirmare, experientes autem ad hoc nobis renunciandũ non amplius reuertãtur: sed est o q sciant, illud certò scimus, neminem hactenus libellum, siue Apologiam composuisse; præterea vel sunt illi in inferni barathro, vel in *Auctor. morsi.*

purgatorio, vel in cælis, quò pauci admodum peruenêre: si in locis inferorum exagitantur, illis scientibus, ob prauos hominum morsus, accidentaliter augetur pœna. si ad Paradisum ascenderint, ob id non perfectè beatitudinem consequi ualent, beatitudinem nanq; definio, vt veteres, statum ex bonorum omnium aggregatione perfectum, & quemadmodũ dicebat Lactantius Firmianus, Beatitudo perfecta esse debet, ut nihil sit, quod eam vexare, aut imminuere, aut immutare possit, quare nil ex omni parte beatum præter Deum optimum maximum, quod vel Epicurius cognouit, quia est omnipotens, incorruptus, sempiternus; sed hæc ita de mortuis proprio marte quærere quanta est vanitas?

Lactan. Firmia.

Epicur.

QV. *Vt vanitas vanitatem absq; vanitate redarguat, amice vanißime, vanum puto te ita vanè de vanitate locutum esse: quandoquidem omnes non sumus inscij, Deum in principio creasse cælum, & terram, quod veteres dixêre Chaos, recentiores quidã naturam Angelicam, & humanam: præterea quòd lucem, firmamentum, aquas, aridam terram, & maria, herbas, frutices, adhæc sydera, reptilia, volatilia, aquatilia, iumenta, ipsumq; hominem ad sui imaginẽ conformauit: & vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, quare absit, quòd statuantur hæc vanitates: verùm, quod forsan ignoras, ò amice, ne statuas illud illico uanitatem, recordare quid dixerit tuus Ecclesiastes sub operis initio, nempe, cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone, & paulò inferiùs,*

Ouid.

Genes.

Salom. Eccles.

riùs, Deus cuncta fecit bona in tempore suo; praetereà estò quòd nihil sentias post mortem, non ne sentis, dũ viuis? vtiq; si bene agis laetaris, doles si male, &, si sapis, procuras melius: non ne istud est frui bono, vel si malus es, etiam malo? iuxta illud, & cum male fecerint laetantur, & exultant in rebus pessimis, idq; quandiù operaris, seu quandiù vixeris. habes igitur laboris praemium, dum tuae sempiternae vitae partem traducis in terris, nempe non iacti temporis, operisúe solatium, quod te etiam, quocunq; migraueris perpetuò comitatur. *Psalm.*

(Caelũ, non animũ, mutant qui trans mare currunt, *Horat.*
Et post equitem sedet atra curra, dicebat ille) *idem.*

Idemq; intellexisse Sapientem puto, dum dixit. Et cognoui quòd non esset melius, quàm laetari, & facere bonum in vita sua: omnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonũ de labore suo, hoc donum Dei est. porrò, quod spectat ad mũdi durationem, fabulae sunt auiles velle statutũ tempus praefinire, praesertim sumpto argumento quandoq; à terraemotu, à peste, à fame, à bellis, ab incendijs, à cometis, alijsq; impreßionibus meteorologicis, ab inundationibus, à monstris, à prodigijs, & ab id genus alijs multis: an haec nunquam fuerunt antea? Ecquid debeo testes coaceruare, qui sanè sunt innumeri? sufficeret Plinium audire in eius hystoria naturali, praeter auctores, qui de terraemotu, de pestilentia, de penuria, de conflagrationibus, de ijs, quae in sublimi regione contingunt, de cataclysmis, de ominibus, prodigijs, ac portentis ex industria ante *Salom:*

Plato centum, & mille annos locuti sunt; dicebat Plato in Alcyone, meministi ò Chærephon quanta nudius tertius tempestas extiterit. Nam vel cogitantem quidē tum fulgura illa, ac tonitrua: tum ventorum incredibiles, atq; immensas magnitudines: cogitantem inquā pauor incessit. vereretur forsitan quispiā vniuersam iamiam ruituram mundi fabricam. Porrò verò admirabilis quædam tranquillitatis cōstitutio exorta est, quæ ipsa & hactenus perdurauit. errant autem magis, qui per ætates Patrum diuidunt tempora orbis interituri; adhuc uerò magis errant, dum tentant id cōprobare per Euangelium; in quo habetur, quòd erunt

Euang. signa in Sole, Luna, & Stellis, & in terris pressuræ gentium, bella, fames, tribulationes, angustiæ, & huiusmodi, dicentes, ecce tot Eclypses, tot defectus cælestium luminum tot cometæ, pestilentiæ item, bella, fames, impietates, hæreses, et cæteræ calamitates, quare subiungunt verba illa: his autē fieri incipientibus, Ecce appropinquat redemptio vestra: atq; hoc pacto sæpiùs in ueritate infallibili perperam intellecta conculcant mendacium dicentes adesse mundi ruinam, ac exterminium: nihilominus postquam hæc dixerint annorum centenaria transierunt; nam semper fuit similis mundi huius reuolutio, ac alteratio, scrutamini scripturas, & veterum hystorias vniuersas: & est, & erit varia hæc huius mundi calamitas vsquequo videbitur Filius hominis veniens in nube cum potestate magna, & maiestate, quemadmodum dicunt

Euang. Euangelistæ: quod sanè arcanum vnum ex illis est,

quæ

quæ noluit Deus hominibus reuelare. Et si circa hunc mundi interitum licet aliqua coniectura ratiocinari, sic dixerim. Certum est superbum Luciferum Deo rebellem in huius uniuersi principio iusta ultione in Infernum detrusum esse, illumq; secum traxisse tertiam partem stellarum, ut dixit magnus Symmista Ioannes, scilicet Angelorũ, veluti intelligitur illud Prophetæ, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat; Deum porrò creasse indies, ac creare humanas animas libero arbitrio præditas, ut summum bonũ intelligant, intelligendo ament, amando possideant, possidendo perfruantur, quibus bene operatis in terris redimplentur vacuæ in cælis relictæ à prauis angelis sedes: quapropter impletis illis mansionibus, tunc possemus iudicare mundum interiturum, quod nihilominus est in Dei voluntate repositum: nè autem citiùs impleantur, ita Diabolus ab initio procliuem reddidit naturam humanam ad malum, ut pars hominũ minima in orbe vniuerso verè sit Christiana: quinimo hæreses continuè inter eos suscitat uarias, ac detestandas, adeo, ut quantò peiores sint homines, tantò uideatur mundus diutiùs duraturus, quoniã tantò seriùs vacuæ illæ mansiones redimplebuntur: veruntamen dum post gentium pressuras, pestes, & bella, virtutes cælorum commouebuntur, surgentq; pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, & subinde uidebitur Filius hominis aueniens in nube cum suprema gloria, & potestate, vtiq; credo, tunc erit huius interitus macrocosmi, ad huius autem meæ sententiæ robur,

D. Ioannes.

Dauid Proph.

D. Aug.

bur, ac firmitatem recito etiam quintum caput Sym-
Symph. Campe. *phoriani Campegij in vita Arnaldi Villanouani, q&*
tale est. Arnaldus dogma suum Parisijs exercuit,
Arnald. Villano. *& per prophetiam Danielis, & Sybillæ Erithrææ probare nitebatur aduentum Antichristi, & persecutionem Ecclesiæ futuram esse. Etiam vaticinari voluit anno Christi 1355. ob conuentum trium planetarum superiorum in Aquario: vel 1464. ob conuentionem supradictorum Saturni, & Iouis in Piscibus venturum Antichristum. Sed cum ea tempora iam præterierint: agitur.n.nunc annus Christi 1527, eos omnes Astronomos, qui de Antichristo, & Iudicio locuti sunt, ignorantes arrogantes, mendaces, leues, & ridiculos declarat euentus. hæc ille.*

BAL. *Stantibus vt verissimis ijs, quæ retulit Quintius, vt interim Aristotelis rationes circa mundi æternitatem, atq; aliorum philosophorum sentētias*
Lactan. Firmia. *prætermittamus, quibus responsum sufficiat per Lactantium Firmianum vnica ista sententia. Omne opus ratio præcedit, non habet ergo rationem, quod factum non est, atqui mundus habet rationem, qua & constat, & regitur, ergo & factus est, & si factus est resoluetur. Ego præterea dixerim, filios propagare, terram colere, orare, ieiunare, dare eleemosinam; neutiquam posse esse vanitates: non etenim ordinat Deus*
Genes. *vanitates cum dicit, Crescite, multiplicamini, replete terram: seu quando ait, Vir adhærebit vxori suæ.*
Euang. *itidem de terra, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, vel ite & vos in uineam meam: ita de orationi-*

bus,

bus, orate, ne intretis in tentationem, cũ oratis dicite, Pater noster. sic, oportet orare, nunquam desistere: pariter de ieiunio, cum autem ieiunatis, nolite fieri sicuti hypocritæ tristes, & ulterius, tu autem cum ieiunas unge caput tuum, et quæ sequuntur: sic de eleemosina, vade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus: vel quando Isaiæ ore locutus dixit. Frange esurienti panem tuum, & egenos, uagosq; induc in domum tuã, cum uideris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris: perinde atq; dum alia præcepta pronunciauit, atq; consilia; quæ inquam hac vnica intelligi uoluit ratione, si uis ad vitã ingredi, serua mandata. Isaias. Euang.

CAL. *Dei excelsi opera nunquam, nisi insipiens, incusabo; cæterùm ut etiam de mortuis rem determinèm; quòd sentiant, & recordentur, non difficile est colligere ex lectione Euangelica Diuitis Epulonis, ac inopis Lazari: tum ex vitis quorundam sanctorum Patrum: sat modò est, quòd ad sua scripta tuenda nõ reuertantur: istic autem dum viuunt laborẽ sentiunt, non solatium: namq; non proferunt libros imprimendos, sed illos post eorum obitũ producendos relinquunt: & hæc vanitas: cum se tueri, excusare, sensa perperam intellecta detegere, atq; aperire minime illis concessum sit, iam verò Dei mãdata spernere, aut incusare, vt dicebam, sanè summa esset omnium vanitatum vanitas, & stultitia.* Euang. Vitæ Patrum.

Incusare Deũ noli, sed te ipse coërce, dixerat Cato. Quapropter iterum ad dicendum reuertor. Vanitas vanitatum, omnia vanitas. regula hæc infallibilis, nisi Cato. Salom.

nisi inquantum quælibet regula patitur exceptionem, quocirca in hac vanitatis regula, illa debet fieri exceptio, nempe, illud duntaxat vanitatem non esse, quod ad Dei optimi maximi nutum, ac voluntatem factũ est, fit, ac in posterum fiet. propterea si loco generandorum filiorum, quod opus à Deo ordinatum est, luxuriaris, & in abominanda, detestandaq; vitia uolutaris, summa est vanitas: si in terræ laboribus eo versaris animo, vt inde valeas ditari, fœnerari, & exultare, veluti ille, qui omnibus propemodũ affluens terræ bonis inuitabat animam suam ad gaudendum, & lætandum, quanta est vanitas? nam in tot delicijs ecce nuntius, qui ait, dispone domui tuæ, quia morieris, & dæmones repetent animam tuam à te. si orationis loco blasphemas, peieras, ac mentiris, quæ nam hæc uanitas? quod peccatum? audi sacram paginam. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierint, manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus. & rursus, homo, qui maledixerit Deo suo, & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Si pro ieiunio gulæ indulgebis, certè est vanitas: audi Paulum, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, atq; alibi, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, cum sequentibus. si loco erogandæ eleemosinæ, nedũ retines, quod dare debes, sed impiè aufers alienum, & per fas, atq; nefas das operam auaritiæ, & hæc vanitas, ne dicatur stoliditas maxima: ditatur homo insatiabilis anxietate pessima, &

Euang.

Leu. 14.

D. Paul.

omnes

omnes diuitias breui tempore est indubiè relicturus: quid, inquam, prodest homini, si vniuersum mundũ lucretur, animæ vero suæ pariat detrimentũ? et, quod peius uidetur, euenit sæpius, ut quæ summo animi, ac corporis cruciatu collegit auarus, ea in ludis, meretricibus, ac comeßationibus disperdat prodigus, utraque uanitas. hinc Democritus ille sapientißimus deridens mũdana omnia sic Hippocratem alloquens exclabat. O dementes homines prauitatis pœnas pendentes, auaritiæ, insatiabilitatis, inimicitiæ, insidiarum, doli, inuidentiæ (difficile est enumerare multiplices malorũ uersutias: sunt enim infinitæ) & in his dolosis uersutijs uicißim conuersantes, et malignè sentientes, etc. Insuper dixerim præter ea, quæ naturæ etiam necessaria, nonne omnia uanitas? naturam iuxta Deũ constituo, unde bene dictum est, Deum, & naturam nihil frustra operari; certò scimus, quòd natura paucis, minimisq; contenta est: sufficit tuguriũ, uel domus apta familiæ, ac supellectili capiundæ, ulteriùs palatia condere certè est uanitas; sat est panis cum modico obsonij, aquæ parum, aut uini, Euang. Demo. ĩ ep. Hip. Aristot:

Quîs humana sibi doluit natura negatis, Horat.

Coquis autem, atq; architriclinis tantum faceßere negotium, adeo, ut plures gula, quàm gladio sæpius absumantur, vtiq; vanitas. tot vestes sericas, olosericas, ex argento, ex auro, ex preciosis pellibus, colorũ milliũ induere, quanta est vanitas, si toga defendere frigus quamuis crassa queat? vt dicebat ille, aulæis superbis vestire muros, tapetibus preciosis capsas, ac mensas Horat.

sternere, conopeis speciosissimis, & id genus alijs lectos accõmodare sanè est vanitas. Cicero dicebat in Lælio, quid enim tam absurdum, quàm delectari multis inanibus rebus, vt honore, vt gloria, vt ædificio, vt vestitu, cultuq; corporis? Gabriel Flamma in Vita Babilæ Episcopi sancti illius, qui Imperatorem homicidam in templũ ingredi non permisit, refert illum ex Sacris libris ueritatem hanc didicisse, quòd dignitates omnes, sublimitatesq; mundi huius sunt umbræ, fumi, somnia, vanitates. Impiger extremos currit mercator ad Indos Pauperiem fugiens, quæ nam est hæc uanitas? cum sæpius mortem incurrat, sibi à ventis, à mari, à pyratis, à latronibus procuratã, & (proh Deũ fidem, atq; hominum) à nauigante mors distat quantum est nauis craßities, seu tabulæ latitudo, quæ est ad summum per quattuor digitos: & exiguo ligno credũt homines animas suas, inquit diuina Sapientia. Seruorum, ancillarumq; satellitiũ, quàm longa est uanitas? quæ confusio? cum quilibet à seipso valeat naturæ operibus inseruire? hæc vana seruitus causatur, vt multi ociosi, ac oscitantes vitam traducant adeo, vt quandoq; tanta detineantur pigritie, tanto lentore, ut tanquam impinguent Epicuri de grege porcum propter optimos, opimosq; cibos, nullo labore, aut exercitio ritè digestos, sæpe in articulares morbos, chyragra, podagra, tũ et in alias infirmitates incurrãt; nõ ita Vespasianus Imp. referente Suetonio, qui quidẽ cũ uacabat à militaribus exercitijs, ne ocio obtorpesceret, in Sferisterio totũ corpus ad sanitatẽ tuendam libentiùs exercebat.

Cicero

Horat.

Salom. Sap.

Sueton. Tranq.

BVR.

BVR. *Rectè sanè Natalis ille, ex Lucretio, quādo ait,* *Nat. Co. Lucret.*
O vanas hominum mentes, ò pectora cæca,
Qualibus in tenebris tempora dura trahunt.
Propterea vanum est laborare, vanum est ociari, uanum ridere, vanum & lugere, vanum exultare, vanum et tristari, vanum addiscere, vanum docere, uanum doceri: nihil etenim vnquam perfectè scimus, & certè maior pars eorum, quæ scimus, si modò quicquam scimus, minima est eorum, quæ ignoramus, nam probamus, sylogizamus, ut sic dicam, argumentamur, inducimus, annuimus, arguimus, commentamur, sophysticamur, vtimur dilemmate, exemplo, enthimemame, coniectura, postremò unum scimus, cū Socrate, quòd nihil scimus, siquidem, vt dicebat Plato, maior pars eorum, quæ sciuntur, non est vera: quare summo iure dicebat Aristoteles vltimas rerum differentias nos latere. Audite Sapientē. Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poßit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, & quantò plus laborauerit ad querendū, tantò minus inueniet, etiam si dixerit sapiens se noße, non poterit reperire. Versus pangere quam uanum est? nam sæpius illud, quod cōmodè soluta oratione potest intelligi, in carmine ex conuenientibus numeris conformando, asperum, difficile, obscurū redditur, ac ueluti in ænigmatibus complicatur.

Auerr. *Socrat.* *Plato.* *Aristot.* *Salom.*

Breuis eße laboro obscurus fio: dicebat ille, *Horat:*
Libros componere uanum est, exinde etenim quæritur vtplurimum aura popularis: faciendi plures libros nullus est finis, frequensq; meditatio carnis afflictio *Salom.*

Eccles. est, dicebat Ecclesiastes. Libros componere, & id statuere vanitatem, vanitas est vanitatum. Libros cõponere in aliorum gratiam, illos laudare, & sæpiùs ultra, quàm satis est efferre ad cælum, omnium est uanitatũ uanissima uanitas, vanitas apud præsentes, uanitas apud posteros, uanitas apud semetipsum scribentem : nanq; vtplurimum librorum scriptor sua frustratur spe, perdit oleum, & operam, & nihil aliud ferè semper recipit, à suis collaudatis, præterquã uerba. O factũ bene: Macte virtute vir: Non qui incæperit: Sic itur ad astra: Sublimi feries sydere vertice: I bone quò Virtus tua te vocat, i pede fausto : & id verborum genus lenociniorum: neq; tantum pro opere mercedis refert hic libri auctor, sui, rerumq; suarum sæpius obliuiscens, vexans ingenium, oleum consumẽs, & paginas, quantum pro medietate temporis in uinea operarius putans uineta, aut sarmenta colligens lætus reportat domum: cum præterea non sit scriptorum ultima uanitas libros imprimere proprijs sumptibus: quãdoquidem nullum penè habeant operum exitum aliũ, q̃ donare, Gratias ago, seu Manus osculor, nil aliud, interim reportando: quòd si cum bibliopolis audent cõuenire, quæ uanitas? torquentur, fraudantur omnibus modis, millibus inquam modis, illos non recenseo stomachatus: sin minus, penes auctores libri penitus moriuntur, illi præcipuè, qui non tractant, ut aiunt isti, de pane lucrando, (vah idolorum seruitus auaritia)
D. Paul. oleo deperdito, atq; opera, ne dicã ingenio, ac patientia. Vah misera uanitas, atq; impudica, ò studiosi homi-

nes,

nes, quàm estis, præsertim pauperes, infelices. Insuper æmuli carpunt, detrahunt, ac obijciunt: alij irrident hominẽ, ut qui nimis applauserit, ut qui pecuniam aucupetur, atq; gloriolam. Cæterùm & posteri ab excelsis scriptorum Encomijs in aliquorũ gratiam spe aliqua publicatis decipiuntur, & sæpe sæpius falsò Thersitem Achillem credunt, & Phrinem reputant Lucretiam, aut Penelópem; neq; vlla est Petrarcæ ratio in secundo illo de remedijs vtriusq; fortunæ, quæ ab huiusmodi uanitate, & peccato eos valeat excusare si ulterius in hac uanitate perseuero, adhuc magis vanitas percrebescit. Eia igitur transcendamus. Interim cari fratres, & vos Poetæ Petrar. Nat.Co.

Claudite Castalij riuos. iam claudite fontes:
Irrita de sacris labitur vnda vadis.

Quanta sit in mulieribus vanitas non discutiam, ipsæ etenim totæ sunt uanitates, neq; dũ à uertice ad imos talos, sed in, sub, super, & subter, capite non secus, quàm pedibus: Quinimò & cum omnibus præpositionibus Accusatiuo casui seruientibus, quæ apud Donatum, Aldum, aliosq; Grammaticos reperiuntur subordinatæ; & vt aliquantum attingam: quanta nam apparet earum uanitas in capillis, longis, fuluis reddendis, atq; aureis? in retardandis canis, retundendis, ac colorandis? ut sæpius cephalæa, aut cephalalagia, peßima hemicranea, catharro, & id genus morbis alijs capiantur propter nimiam, diutinamq; capitis insolationem: Vanitas adhuc maior in ijsdem aptãdis, conformandis, tollendis, demittendis, euellendis, auerruncandis, Aelius Donat. Aldus Manut.

runcandis, vt spaciosior frons edatur, aut angulata: in circinandis item, calamistrãdis, conglobandis, quid scio? vt sæpe effingãt cornua, alia alijs altiora, acutiora, firmiora, operosiora, quandoq; fungos, interdum fistulas, & duplicatas, nonnunquam riuulos, aliàs coronas, tum adinstar vibrantium caudarum serpentũ, aliquando pyramides, arces, arcus, laqueos, capsulas, cirros, caueas, circulos, laberinthos, & alia millia, efformantes super alijs illud M. mirificis modis: ut uel tacentes dicant, Eme homo vane nostras huiusmodi vanitates: addo (quod magis aggrauat) eas tot mortuarum capillos componere, sæpius pessimarum, Hebrearum non semel; atq; ita proprios curtos, erosos, ac nigros pilos alienis ex arte longis, ac flauis crinibus operire: de cristis, pinnis, ac caliendris acuminatis, cacuminatis, discriminatis in capitis summitate, nõ moror: cum hæc omnia excedant omnem, ac superent uanitatem: crines leniter emissos, sensimq; sinuato patagio residentes, summum verticem nodus astrinxerat, dixerat Apuleius, & Iuuenalis.

Apul. Iuuen. *Reticulumq; comis auratum ingentibus implet.*

Adhæc apparet earum vanitas in facie dealbanda, rubificanda, læuiganda, ac elucidanda, vt specula, seu potiùs vitreata vasa facierum læuore imitentur.

Sincerũ cupimus uas incrustare, dixerat Venusinus. Vah petiæ illæ albæ, & rubræ, vah sublimatum, vah fuci, uah pigmentorum, mixturarumq; genera millia, quæ quidẽ ex quibus conficiantur, qui mauult, discat à prima illa Ariosti Satyra ad Hannibalẽ. de gummi,

Ludou. Ariost.

de

de psilothris, de spongiolis: ita de aqualiculis, phialis, bocijs conticesco, veluti & de earum capsulis, cellulis, pixidibus loculis, ac deniq; de illarũ secretioribus gurgustiolis, vbi hæc, atq; alia plurima, reponuntur, conduntur, administrantur. in arcuandis cilijs, in molsella euellendis, in multiformibus inauribus appendendis, vt catulis appendunt anulos, aut bullas pueri, uel buculis bubulci campanulas & æpoli, atque vpiliones pecoribus tintinabula : quanta, qualisq; uanitas ? in efformando, effingendoq; pectore qualisnam, quantaq; cernitur uanitas mulierum? aliæ supprimunt mãmas, aliæ eleuant, detegũt aliæ usq; ad papillas, aliæ in summo pectore extrudunt carnem, vt ubi ex rei natura minus est carnis, ibi plus esse videatur: aliæ æmulantes virum cum sint mammis siccis, siue nigrioribus præditæ, collaria nunquam satis alta, ampla, atq; operosa circinant vsq; ad mentum: cum aliæ submittant illis stuppam, aut sudariola, ut tumida appareat eiusmodi abluta, & fricata pellis, & ne defecisse uideantur in mammis, quod utplurimum factitant senescentes uolentes non vetulæ reputari, sed iuniores : cum nihilominus cum risu, ac ioco,

Spectentur tales vetuli, notiq; columbi. *Ex Hor.*

Dilatant pectus aliæ, aliæ uniunt vbera eiusmodi efformantes canalem, aut riuulum, vt ab ipso oculorum aciem abstrahere haudquaquam possis; porrò mulier his artibus supernè formosa apparens, desinit utplurimùm in deformem piscem. nam ueluti pisces in cauda decrescunt, atque elongantur, ita mulieres curtæ sunt

plurimùm,

plurimùm, & calopodia calceant altiora, vt sæpius non per digitos tres, vel quatuor, sed per palmos, & vltra eleuentur à terra adeo, vt dum petunt cubitum sexta, vel quinta, vel etiam quarta pars ipsarum in pauimento secus fulcra remaneat: hinc est, quòd elongant caudas vestium, & beata illa mulier, quæ post se caudam attrahit longiorem,

Mart. *Aptasti longũ tu quoq; syrma tibi. dixerat Mart. Cum nihilominus decernantur, despiciantur earũ parua capita, curta brachia, breues manus. neq; reticenda essent in soccis albißima calceamenta elaborata figuris millibus, puncticulata, ad canis, aliusúe bestiæ oris similitudinem efformata: cum ligulis, cum instìtis sericis multicoloribus: vah sinistra nõ minus, quàm dextera vanitas. iam prætereo illarum vanitatem in variegatarum vestium varietate, formarum, colorum, gestamentorumq; millium: segmentatarum, undulatarum, patagiatarum, cymatilium, scutulatarum, intextarum argento, aut auro, belluatarum, quid scio? suffultarũ, interfectarũ, multiformiũ, multiq; numeri.*

(Sidoniam picto clamydem circundata limbo)

Virg. *In subuculis item, insupparis, in amictibus, stollis olosericis, strophijs, amentis, retibus, restibus, vittis, infulis, fasciolis, in subcollarijs ferreis, affabre factis, mixti coloribus, auratis cum foliolis illis appensis tremulis, ac scintillantibus, in tot lacinijs, tot filamentis, tot parergis: in velerum pariter, flammeorum, carbasorum, collariorum, reticulorum, baltheorum, capitiorum, syrmatum, instìtarum, flocculorum, redimiculorum,*

culorum, acicularum, acuumq; coaptatione: cum tanta iactura fugacis temporis, ac irreparabilis: Dũ molliuntur, dum comuntur annus eſt, dicebat Comicus. Præterea in manilibus, in monilibus, torquibus, ſpirulis, pendentibus, frontalibus, armillis, cingulis, bracteolis, in gemmis, in floribus varij generis natura, ſiue arte efformatis, aptatisq; in vertice capitis, in tempore, vel temporibus, in regione cordis, vel hepatis, ventris etiam, aut lateris, infra mammas, ad aures, quid vltra? in chirothecis admodum varijs, ac alteratis, Romanis, Venetis, parthenopeis, capronijs, de flore, de ocania: in latis illis manuũ conditorijs ex precioſis pellibus, ſatis ſuperq; in ſumma, nimiũ operoſis; in plurimis tandem huiuſmodi geſticulamentis, ineptijs, ac propriè vanitatibus. In anulis præterea, in lapillis. Sardonicas ſmaragdos, adamantas, iaſpidas vno Mart.
Portat in articulo. Dixerat Martialis de Stella ſuo. Et Flaccus teſte Paulo Manutio, Paulus Manut.

Lucentes mea vita, nec ſmaragdos,
Berillos mihi, nec nitentes, Flaccus.
Nec præcandida margarita quæro:
Nec quos Thyniea lima perpoliuit
Anellos, nec iaſpidos lapillos.

In bullis præterea, in carbũculis flammeis, in gemmis ſplendentibus, ſicuti in vnionibus, quorum dos omnis, teſte Plinio, in candore, magnitudine, orbe, læuore, ac Plinius. *pondere poſita eſt, quanta eſt vanitas? vt vel harum margaritarum filum, vna collectio, quæ collum ſemel ambiat, plus veneat, quàm prædium feraciſſimum,*

(operari virorum, & opes congerere, absumi autem plerumq; sumptibus mulierũ, scribit Xenophon in œconomia) adeo, vt sæpe vani homines pro vanissimis fœminis contentandis & mille, & duo, & tria, & vltra quattuor millia in huiusmodi vnionum cingulo, quod quadragenarium, aut quinquagenarium numerum non transcendit, aureorum coronatorũ expendãt, seq; , natosq; suos propterea miseros interdũ, atq; extorres reddant. Iam audiant, audirent vtinam,

Isaiã.3. *miseræ, ac vanæ fœminæ Isaiam Prophetam, qualem pro illis ex ore Dei promulget sententiam. Et dixit Dominus pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Syon, & ambulauerunt extenso collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiarum Syon, & Dominus crinem earum nudabit: in die illa aufert Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas, in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & vittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fætor, et pro Zona funiculus, et pro crispãte crine caluitium, & pro fascia pectorali ciliciũ. Sed desinamus.*

QV. *Respires deprecor parumper. Calcia, interim ego de virorum in ornatu mollitie, ac vanita-*

Macro. *te ex Macrobij monitu aliquid dixero, dum hæc de Qu. Hortensio referebat. Vir alioquin ex professo*

mollis

mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem: Fuit enim vestitu ad munditiem curioso: Et ut bene amictus iret, faciem in speculo quærebat: vbi se intuens togam sic applicabat, vt rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus astringeret, & sinus ex composito defluens modum lateris ambiret. Is quondam cum incederet elaboratus ad speciem, collegæ de iniurijs diem dixit, quòd sibi in angustijs obuius, offensus fortuitò, structuram togæ destruxerat, & capitale putauit, quòd in humero suo locum toga mutaßet. Vah quot, qualesq; sunt generis masculini propudia eiusmodi vani homines etiam nostro sæculo: Ornantur, polliuntur, crispantur, emunguntur, leuigantur, concinnantur, nunquàm satis elaborantur: de pileis multifarijs de biretis altioribus, de pluribus cristis, ac discoloribus, de capillorum cirris, & frustulis inæqualibus, de lactucatis collarijs, vel de illis paruulis acupictis acuminatis; de reliquo denique cultu affectato corporis vsq; ad talos, quid est quòd proloquar? cum plurimi hæc nostra lecturi, seu audituri, hæc, atq; alia leuiora, vanioraq; sectentur pariter, ac exquirant. Tu autem amice noster, tot tantaq; de mulieribus retulisti, vt, nisi inter seniores numerareris, illæ te insectarētur, persequerentur, ac male afficerent: odio habebunt nihilominus, opinor, ac maledicent: afferētes interim Storditi Intronati Dialogum de pulchris mulierum institutionibus: Speronis illum de illarum dignitate: Dominici Bruni librum integrum cui titulus, Difesa delle Donne: Cum quo adiungerent illum Aloysij Dar- Stordi. Intron. Spero. Domin. Brun.

Aloyſ. Dard. dani exquiſitum, in quo leguntur pro eis latæ ſententiæ: tum librum illum Hyſpana lingua conſcriptũ cui Ioan. Spin. titulus, Dialogo en laude de las mugeres, de Ioan Spinoſa, tum & Aſſumptum Cupidineum Academici Cæſar. Barbab. Soliuagi ſcriptoris celebris noſtri ſæculi: illis non deerũt fautores, ac defenſores, poëtarum præcipuè centenaria. Sed proſequere, dum velis, ſermonem tuum.

CAL. Quæcunq; dixi ad correctionẽ potius, quàm ad offenſionem relata ſunt: doleo equidem quòd quoquo me verto video, audio de mulieribus peßima ſen-Mih. A. Blond. tientes. Blondus ad initium ſuæ vexationis (Angoſcia la prima furia del mondo) ſic ſcriptũ reliquit.

N. Che coſa è Donna? S. Fumo, & ombra vana,
Furor, ſuperbia, mar di venti pieno, &c.

Alphon. Vlloa. Alphonſus Vlloa, quæ non dicit in libro illo, cui titulus, Auiſo de' Giouani, & Reprobatione dell' Amor Vita M. Aur. del mondo? in Vita Marci Aurelij Imperatoris cap. 19. 20. 21. O quàm multa, ò quãta congeſta ſunt. Domin. Brun. Et Brunus ille ſuus mulierum oppoſitiones recenſens, in ſecundo loco, illarum poſuit vanitatem, cum in primo imperfectionem repoſuiſſet. Sed iam reuertor ad alias aliquot vanitates Epilogandas. Vanum eſt viuere, vanum eſt mori; plurimi vitam appetunt, ſiue meritant longiorem, & moriuntur, alij inutiles, ocioſi, aut valetudinarij mortem appetunt, & vitam producunt ad nauſeam; & amabò, quid eſt aliud hæc noſtra mors momentanea, quàm vanitas, & vltimum terribilium, ideſt vanitatũ? per ipſam etenim uanitatibus cunctis finis imponitur, & relicto in terris

vane

vano cadauere in nouißimam diem alia conditione reaſſumendo, anima ſecedit ad gloriam, ſiue ad cruciatum, quemadmodum priús mentem in terris habitans cum ſummo Deo, vel cum prauo Dæmone conformauerit, vt ſummo iure collaudem Triſmegiſtum, qui hæc dum moreretur pronunciauit. Hactenus fili mi pulſus à Patria vixi peregrinus, & exul, nunc incolumis patriam repeto, cumq; poſt paulùm à uobis corporeis vinculis diſsolutus diſceſſero, videtote, ne me quaſi mortuum lugeatis, nam ad illam optimam, beatamq; ciuitatem regredior, ad quam vniuerſi ciues mortis conditione venturi ſunt: ibi nanq; ſolus Deus eſt ſummus Princeps, qui ciues ſuos replet ſuauitate mirifica, quò hæc, quam multi vitam exiſtimant, mors eſt potius dicenda, quàm vita, iuxtà illud Euripidis, quis nouit, ſi viuere eſt mori? aut mori ſit viuere? Ego enim à ſapientibus audiui, quòd nos morimur, & quòd corpus ſepulchrum eſt nobis.

Mercu. Triſme. referente Arc. Burg.

Euripi. in Triſs.

FE. *Vtiq; ò amice, mors vel vanitas eſt, vel certè nihil, quod eſt adhuc minus quàm vanitas: quandoquidem per peccatum mors introiuit in mundum, peccatum autẽ nihil eſt, veluti exponunt Sacri Theologi illud Ioannis cap. 1. Sine ipſo factũ eſt nihil, ideſt peccatum, vt R. Flamma in adnotatione tertia ſuper vita Sancti Seueri Epiſcopi, vbi ait, qui caritate caret, nihil habet, id eſt peccatum, quod eſt verè nihil: ſi propter peccatum mors, ergo adhuc veriùs mors nihil eſt, imò relatiua ſunt mors, ac peccatũ, vno etenim poſito ponitur & alterum: neq; mors vnquàm hominibus*

D. Ioan. Gabriel Flãma.

nibus contigisset, nisi ijsdem & peccatum priùs, cum à principio creauerit Deus hominem immortalem, nisi quatenus ei liberum arbitrium impartiuit, a cuius arbitrij abusu ex Diaboli suggestione vniuersa natura humana morti obnoxia facta est: non mirum igitur si mortem, & peccatum nemo vidit unquàm, cùm nihil sint. Cæterum ò vos Philosophi, atq; medici, vanum etiam Philosophari, vt dixit Calcia, cum nullã possimus certam rerum habere scientiam, dicant quicquid velint arcanorum naturæ scrutatores, atq; arioli, argumententur quantumcunque logici, nanq; nulla est certa scientia, de humanitus adinuentis, nisi quæ acquiritur per demonstrationem, quæ ex Aristotele est syllogismus faciens scire: hic autem constare debet ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis, oportet præterea, quòd propositiones demonstrationis sint veræ, necessariæ, de omni, per se, vniuersales, ex proprijs, perpetuis, & non corruptibilibus, quòd nõ constent ex extraneis, nec ex communibus, adeo, vt vix ille vulgatus apud logicos syllogismus sit perfecta demonstratio. s. omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis; quanta autem vanitate de his blatterent, ac scriptitent professores, nos omnes scimus, qui in publicis studijs scholares aliquãdo his artibus incubuimus. Memini cuiusdam Dominici Mazzarelli sententiæ in eius Dialogo de philosophia sub Cimonis nomine disputantis, nẽpe sæpius se in scholis sustinuisse, & rationibus comprobasse rerũ omnium

Aristot.

Domin. Mazz.

haberi

haberi opinionem potiusq̃ scientiam, nulliusq; rei nos habere necessariam ueritatẽ. Opinionem autem uanæ fortunæ æquiparat Petrarca in senilibus, earumq; potentiam, vt exinde utrarũq; (ne dicã & auctoris) in dubiam uanitatẽ nobis liceat expiscari.. Porrò itidem vanum est mederi, vanum & medicari, nam sæpe medicus ignorans præscribit, quæ nocitura, & æger, seu deglutiẽs labitur in deterius, quo fit, vt medicus ad excusationes, siue ad incusationes recurrat, vtens præcipuè verbis illis Hippocratis primo Aphorismorum, nempe. Nec verò satis est medicum suum fecisse officium, nisi suum quoq; ægrotus, suum astantes faciant, sintq; externa ritè comparata: cũ tamen subticeat, hereticorum instar, verba præcedentia s. Vita breuis, ars longa, occasio volucris, experientia periculosa, iudiciũ difficile: et reuera medicinæ, seu pharmaca, ut uos omnes medici scitis, fiunt ex simplicibus, quæ sanè plures habent qualitates, atq; eas combinatas, ac complicatas, quandoq; in primo, uel in secundo, uel in tertio, uel in quarto gradu, sic in summo, in remisso, ut aliquod sit, puta, calidum in tertio, siccum in primo, uel in fine primi, uel in eius principio, uel in medio, sic de alijs, ut gradus, ac ordines sint ferme imperscrutabiles, ut interim occultas proprietates prætoream: iam uerò ex pluribus simplicibus componitur medicamentum, utputa Electuariũ aliquod, uel serapium, ex pluribus electuarijs, conditis, & serapijs, & herbarum, florum, fructuũ, radicum, puluerum ebullitione pharmacum commiscetur, his stantibus quidem uerissimis.

Petrar.

Hippo. 1.

Canon

Hipp. 2. aphoris. *Canon est, ut contraria contrarijs curentur, & cōtrariorum contraria sint remedia. quis nam oculos habet adeo lynceos, aut adeo perspicax est, ac subtilis, ut dignoscat illud medicamentum rectè aduersari humoribus in corpore ægri peccantibus, illosq; indubiè fore superaturum? sed dicet quispiam, experientia est rerum magistra: ac si fortaße eßet ars hæc coriaria, in* Galen. 1. aphor. *qua ignorans sutor corium perperam incidens, ac dissecans, nullum, præter pauci ualoris illius corij patitur damnum, sed de medicamento in humano corpore periculum faciens medicus, ægrotantis uitam in periculum reuocat, ac in summum rerum eius omnium discrimen. ò medicorum, ò ægrotantium uanitas.*

QV. *Iam non ultra de medicis rogo: nonne sunt & Iurisperiti in uanitate constituti? quid aliud addiscunt quàm regulas, statuta, leges, decreta, senatusconsulta, rescripta, responsa, pacta, conuentiones, decisiones, repetitiones, consilia, & id genus, certè opiniones hominum, penes quos sæpius stat pro ratione uoluntas. neminem certè ad perfectum adduxit lex. Qui* Isaia. *dat secretorum scrutatores quasi non sint: Iudices terræ uelut inane fecit, dixerat Isaias. Vani sunt causidici blatterones, uani sunt scribæ, uani mercatores, uani artifices, plebs, & omnis populus, et deniq; quod* Pontan. *Charonti umbra illa respondit, apud Pontanum interrogata quid de hominum rebus sensißet? Vanitatem, scilicet, & stultitiam eße omnia. quapropter mihi nunc liceat cum quodam hoc carmen canere.*

Linquo coax ranis, cra coruis, uanaq; uanis.

AP. *Ego*

AP. *Ego genus hominum noui vanißimum, eorum inquàm, qui circa sepulturas, circa sarcophagos adeo mentem, atq; etiam loculos defatigant: isti siquidem strurũt arras, fabricant monumenta, erigunt marmora, ædificant Mausolæa, parùm putantes terram fodere, lapidem insternere: adhæc inscribunt elogia grandiloquentia, Epitaphia hominum mores, bonos inquàm, præseferentia, adiungunt quandoq; statuas, effigies viuis similes, vexilla, aurea insignia, & huiusmodi alia; neq; hæc subidio, sed in templis, in delubris, in Ecclesijs, in sacellis: cauent quãdoq; ne alius quispiã præter seipsos illuc inferatur, quinq; illis characteribus designatis H. M. H. N. S. his medijs se adhuc viuere cogitantes, commodos quiescere, versari per ora virùm, fore immortales. Vah hominũ sublimis vanitas. vbi nunc Cæsarum statuæ? vbi tot imperatorum orbis totius sublimia monumenta? vbi superbißimum illud Artemisiæ Mausolæum?*

Marmora messallæ findit caprificus, & audax Mart.
Dimidios Crispi mulio ridet equos.

An non vident, omnia orta occidere, aucta senescere, & quæcunq; ad interitum properare?

Quò pius Æneas, quò Tullus diues, & Ancus? Horat.
Puluis, & umbra sumus. vtiq; est in rebus, perinde ac in die, ortus, meridies, & occasus, unde dictũ est.

Mors laudat finem, vesper & ipse diem. Petrar.

Omnia temporum iniuriæ sunt obnoxia, à tempore omnia consumuntur, vnde dixit ille.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas. Ouid.

Quocirca non dixero quidem, vt Philosophus ille interrogatus vbi nam, dum moreretur se fore sepeliendum caueret, qui dixit in agro, seu nemore, illi autem,
Diogen. *quomodò? feræ te deuorabũt; tunc ille, baculũ apponitote: isti rursus, quomodo mortuus nõ sentiens feras baculo profligabis? respondit, si tunc non sensero, vtquid de inhumando cadauere ero sollicitus? Sed in sacro Cœmiterio ritè dispositum fuisse christianorum cadauera sepeliri, vt quæ fuerint sanctorum receptacula*
Thob. *sacramentorum: propter quod pium opus adeo Thobias à Deo dilectus fuit: sed reliqua accessoria sunt vanitates, & si arcæ sint magnificæ, sepulchra operosa, elogia excelsa, & reboantia, ea omnia tempus conterit, destruit, atq; abolet: item ea vnus laudat, centum uituperant, ac criminantur: illa sæpius euertuntur, & ad gradus, ad postes, ad limina, ad columnas, ad aliaq; opera post modicum temporis exponuntur, nec iniuria interdum, cum in epigrammatibus vtplurimũ, si homo aliquod bene in tota eius uita fuerit operatus, protinus miro verborum lenocinio recensetur; si toto vitæ reliquo infamis fuerit, improbus, ac scelestus, ne verbum quidem: sed estò quòd verissima sint Epitaphia, & minus etiam proferant, quàm fuerint hominum merita, quid hoc? an ignoras quid dixerit*
Ecclef. *Sapiens? Non erit memoria Sapientis similiter, vt stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter vt indoctus. in templis porrò, ante aras, coram Deo, & hominibus busta huiusmodi fabricare, cum sufficiat in*

quocunq;

quocunq; vel minimo angulo cæmiterij, certè est vanitas: exponere nempe cadauer putridum, putidum, fætensq; conuenientium hominum naribus, vt ob id, & ob peßimas collectas muscas, quandoq; illius altaris stationes, ac indulgentias prætermittant. cauere autem ne aliorum oßa commisceãtur, quæ nã hæc vanitas? quandoquidem primo cauent illud, quod superstites non præstabunt, sæpius etenim euenit, vt defuncta familia, vel extorre à patria, alteri sepulchrum vendatur, & adiudicetur, atq; ille, tumuli fundatoris, uel testatoris tunc erutis oßibus, ad mistam ex millibus hominum struem ea proijciat, ac exponat: adhæc credis forsitan ossa tua ab inferioris hominis oßibus luem aliquam contrahere per contagium? Legitur Alexandrum Magnum quondam inueniße Diogenem ossa defunctorum baculo studiosè euoluentem, illumq; quid faceret, percontatum. Cui Diogenes summa, qua valeo, diligentia, disquiro, nec inuenio, quæ nam sint ossa diuitis, quæ nam pauperis, nec nobilis ossa, ab ignobilis certa differentia valeo segregare. cui Alexander, ò simplex homo, an ignoras æq; omnes in interitu corruisse, inq; eorum oßibus nullum eße, nec poße statui certum discrimen? cui Diogenes, si nullum discrimen, vt quid te adeo magnum facis, ac reputas, vt parum tibi eße videatur vniuerso orbi mortalium dominari, cum paucis post annis inter tua, & miserorum hominum ossa nulla certa poßit statui differẽtia?

In vita Alexan.

Diogen.

BVR. Aliud hominum genus ego vanißimũ eße iudico, quod quidem nemo vestrũ forsan imaginatur:

illud autem eſt eorum, qui fermè omnes irrident, ſcriptores maximè tenuioris fortunæ viros, vanosq́; cenſent, iudicant, tenent: quãdoquidem perduntur ardeoli oſcitantes, ociantes in hac vanitate: & dum nummos contemplantes in arca propter rerum copiam ſibi aliquid ſe eſſe videntur, cum nihil ſint, ſeipſos seducentes, ſunt nulli, ſunt uani, ſunt uacui: caditq́; demum illorum memoria ad caſum corporis, tuncq; hi à
David. *populo pariter liberè ſibilantur: & qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt uanitates.*

BAL. *Quicquid ſit de aliorũ uanitate, ut interim uaniſsimos Veneris, ac Cupidinis ſectatores prætereã, ego duo hominum genera in culmine uanitatis habitare crediderim, Aſtrologos nempe, ſeu Augures, & Alchymiſtas. Quis autem eſt augur, inquit Achilles*
Eurip. *apud Euripidem? is uidelicet, qui uera pauca, falſa dicit plurima: diuinantur Magi iſtiuſmodi modis millibus, per aquam, per ignem, per terrã, per aërem, per fumum, per ſpecula, per dolabras, per cribra, per pelues, per ſcripturas, per manuum, ſeù frontis lineamenta, & uel per umbrarũ euocationes, & inferorũ.*
Horat. *(Manes eliciunt, animas reſponſa daturas.)*
quinetiam præſagiunt, & minantur noxia; quibus nullatenus eſt credendum, neq; dum ex fide noſtra, ſed uel ex Agamemnonis ore apud Homerum in Vatem Calchanta ſic proferentis.
Homer. *O' uates inuiſe mihi, ſemperq; malorum*
Augur, ſic mens eſt infauſta referre ſub auras
Et maledicta malis fœdè coniungere factis.

Et Virgilius irridens Regem illum augurem à Niso occisum dixerat.

Rex idem, & regi Turno gratißimus Augur,
Sed non Augurio potuit depellere pestem.

Et Rex Salomõ scriptum reliquit mirũ dicteriũ, nẽpe, Diuinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnia malefacientium vanitas est. Diogenes audiens quẽdam copiosè de rebus Astronomicis disserentem, quãtum, inquit, temporis intercesßit, ex quo tu è cælis aduenisti? deniq; aut aduersa euentura dicunt, aut prospera: si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando: si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo: si uera respondent, eaq; sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequàm e fato fias: si fœlicia promittunt, eaq; euentura sunt, tum planè duo erunt incommoda, et expectatio te spei suspensum fatigabit, & futuri gaudij fructum spes tibi iam defloraucrit: nullo igitur pacto utendum est huiusmodi hominibus res futuras præsagientibus, qua propter iurè possumus concludere cum Fr. Bartholomæo Sybilla in speculo peregrinarum quæstionum, unum esse Astrologorum iudicium, tum de alijs, tum de abundantia, & sterilitate locorum, cum huiusmodi uarientur pro meritis, uel demeritis hominum, asseuerantes cum Francisco Petrarca nec sapientem astris, nec astra sapienti, sed utrisq; Deum dominari. Salom. Diogen.



Barthol. Sybilla. Petrar.

O quàm deridentur unà cum tot sectis Philosophorũ isti rerum cælestium scrutatores à Menippo illo Luciani, conquerente uel secum luna, dum ille quondam Lucian.

versaretur

versaretur in cælis. Sed de Ariolis, magis, & id genus vanis hominibus satis: dummodo secum sagas illas, & veneficas fœminas Carminibus quæ uersant, atq; venenis Humanos animos, comprehensas intelligamus. Porrò Alchimistas esse in supremo vanitatis quotidiana experientia palam facit; memini me legisse illud apud Ioannem de Rupescissa in eius primo Libro de Quinta essentia, dum artis chymicæ uanitatem ex libris, nec vnquàm, testor Deum, ex operatione, explorabam: quod vti verissimum semper memoriæ impressum tenui, nempe. Contestor autem omnibus Euangelicis viris Deo inuocato in testem, quòd si Diabolo instigante in operationes Alchymicas prolabantur, in reprobum sensum dabuntur, & scito quia est via perditionis, & mali, pro eo, quod nullus Philosophorum scripsit veritatem in libris, nisi fictè, & sub parabolis, quæ non valent intelligi, & comprehendi ingenio humano: vnde iurè Franciscus Petrarca Libro de prospera fortuna, spem cum ratione introducit ad disputandum de Alchymia, cui spei, dum rationi diceret, spero Alchymiæ prosperos exitus, respondet ratio, & quos quæso? præter fumum, cinerem, sudorem, suspiria, verba, dolos, ignominiam: hi sunt enim Alchymiæ successus, quibus inopem nunquàm ad diuitias euectum, multos à diuitijs ad inopiam reductos sæpe vidimus, & quæ sequuntur. neque reticendum est in re proposita symbolum elegans, quod ita Ioannes Sambucus inter sua illa pulcherrima Emblemata registrauit.

Ex Hor. · *Ioann. de Rup.* · *Petrar.*

Perpetuò

Perpetuò ſudat cur Carbonarius iſte, Ioann. Sãbuci.
Diſſociare igni vt miſta elementa queat?
Cur, quod nusquàm extat, fuit aut, eſſentia quinta,
Hanc precio quærit, ſollicitatq; focis?
Hoc ſtolidum mandat pectus, nec ſana voluntas,
Quid refert lucri? viuat vt inde ſtipe.
Quæ miſeros hominum cæpit dementia ſenſus,
Incerta vt certis ſint redimenda bonis?
Spem precio nunquàm tibi pollicearis egenam.
Soluitur in fumum quicquid ineptus agit.

quare ualeant chymiſtæ uaniſſimi, ſpe Cræſo, & Craſſo ditiores, inopia verò Codro, & Iro pauperiores.

GE. *Valeant inquàm vani chymici, ac ciniflones,*
Ambubaiarum collegia, Pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne. Horat.

valeant item magi, arioli, augures, aruſpices, diuinatores, incantatores, aſtrologi, de quibus rectè intellexit Symphorianus in cribrationibus cõtra Petrum Aponenſem, quando poſt multa ex millibus auctoribus ita dixit, Diuinationẽ quæ ex aſtrorum inſpectione dies, & horas in agendis cuſtodit rebus, deceptionem, illuſionemq; eſſe diaboli, atq; ideo maledictã à Deo, atq; interdictam ab Eccleſia; hiq; certè triplicem illã vanitatem incurrunt, quam poſuit B. Antonius Archiepiſcopus Florentinus in eius Summa, ſcilicet pœnalitatis, iniquitatis, inſtabilitatis: et ſicuti idem Auctor quadruplex uanum ſtatuit, nempe, quod eſt falſum, iniuſtum, inutile, & quod non conſequitur ſuum finem, ita & id genus hominum mendax, ac falſum

Symph. Petrus. Apon.

B. Ant. Archie. Florẽt.

falsum est, iniquum, vtilitate vacuum, & quod nunquàm alterius, præterquàm vanitatis, fit voti com-
Salom. *pos. dicebat Sapiens, funiculus triplex difficile rumpi*
D. Bernardus. *tur; hunc funiculum triplicem B. Bernardus asserit esse curiositatem, voluptatem, uanitatem: quæ quidem*
D. Ioan. *D. Ioannes Apostolus asserit esse concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, vitæq; superbiam, adeo vt in aceruandis de vanitate exemplis non sit amplius laborandum: & iurè cum Sapiente, qui & diuitijs, & honoribus, & imperio, & pulchritudine,*
Salom. *& sapientia affluebat, possumus illud repetere. Vanitas vanitatum, & omnia uanitas; atq; rursus, non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non pec-*
Dauid. *cet. nanq; vt dicebat Psalmographus ille diuino afflatus spiritu, Mundus in maligno positus est, non est; qui faciat bonum, non est vsq; ad unum, adeo vt unus tantummodo faciat bonum. Ecquis ille in terra est, & fuit, nisi Christus Redemptor noster. de quo scriptum fuit, qui peccatum non fecit, nec inueutus est in ore eius dolus? vnde summo iure ipsemet Iudæos*
Euang. *increpãs dixerat, Quis ex uobis arguet me de peccato?*

AP. *Ergo, ò Amice, Dei genetrix, Apostoli, tot Gloriosi Sancti, & Sanctæ, fuerunt perperam operati, quæ nam est hæc hæresis? absit verbo, sicuti & corde hæresis vel minima.*

GE. *Absit inquàm, nec ego, nec nostrum quispiã istud imaginabitur: sed de Christo loquens, de vniuersa simul Beatorum Spirituum cohorte sermonem*
D. Paul. *facere meus est animus: Christus etenim est bonorum*

omnium

omnium caput, boni autem homines sunt Christi membra, ut dicebat Apostolus: sed & ipse Christus per parabolam priùs dixerat, Ego sum vitis, & vos palmites, quo circa qui adhæret Deo unus spiritus efficitur cum eo, fitq; Dei hæres, hæres quidem Dei, cohæres autẽ Christi, ut dicebat Paulus: adde quòd omnes saluati, & saluandi per Christum seruati, & seruandi sunt: Et propterea cum in Deo, siue in Christo Redemptore nostro nulla cadat vanitas, nullum peccatũ, ita in homine, secundum Dei nutum, ac voluntatem operante, nulla poteſt esse vanitas, nulla iniquitas, nullum peccatum. Euang. D.Paul.

CAL. *Ego, qui de vanitate quæstionem proposui, viri doctißimi, non amplius, ut falsò dixi, vanißimi, ita rem hanc constituerem, nempe, Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, atq; omnia, quæ reapse ad illã spectant, duntaxat non eße uanitatem, ducitur etenim hæc à summa intelligentia nunquàm errãte, quæ quidem, veluti diuinum Verbum spopondit, secum erit vsq; ad consumationem sæculi; Enim verò Christus Dominus fundauit eam, qui ad cælos ascendens voluit B. Petrum Apostolum illi præeße Vicarium cui omnem contribuit, ligandi, soluendiq; potestatem, tum succeßores Romanos Pontifices vsq; ad extremũ orbis interitum, aut, si malimus dicere, consumationem: adeo, ut qui extra Romanam Ecclesiam fuerit, ille, eiusq; opera cuncta sint vanitates, quinetiã & Christianus Christianè non operans, vanitatem ipsam incurrit, si superbit, si inuidet, irascitur, odit, deuorat,* Euang.

Sacra contemnit, luxuriatur, fœneratur, aliaq; iniq; , ac perperam operatur, est tanquàm membrum putridum, pampinusq; luxurians , quæ quidem vti vana, ac inutilia reciduntur : Quapropter alere filios nec est peccatum, nec vanitas, sed luxuriari : terram fodere, mercari, non est vanitas, sed crudeliter fœnerari: orare minus est vanitas, sed, si cor non orat, in vanū lingua laborat . quid prodest strepitus labiorum , si cor est
Isidorus. *mutum? dixerat Isidorus : neq; ieiunare est vanitas, sed istud facere ad parsimoniam, seu ad ostentationem nullo alio adiuncto bono, vtiq; vanū est, & Hypocritarum : dare eleemosinā est sanctum opus, illa etenim, velut aquam ignis, peccatum extinguit, sed tuba canere in eroganda eleemosina vanitas est vanitatum , recæperūt isti mercedem suam, scilicet vanā gloriam: itidem vestire non est vanitas, sed superuestire : non loqui , sed blasphemare : non comedere, sed deuorare,*
Horat. *veluti ille. Quicquid quæsierat uentri donabat auaro.*
Lucil. *Viuite lurcones, comedones uiuite uētres. Dix. Lucil. Non bibere , sed inebriari , vnde & luxuria , adhuc maior vanitas, excitatur . non dormire, sed in plumis ociari, atq; vt ille Tigellius, ducere insomnem noctem in ludis, & comessationibus , diem autem totum stertere, & sic de cæteris alijs quibuscunque .*

Colligamus itaq; Virtutem , veram inquàm virtutem non esse vanitatem : Virtutem autem eße medium vitiorum vtrinq; reductum , veluti , exempli gratia, in re pecuniaria, reperitur auarus, liberalis, & prodigus : liberalis secundum virtutem : auarus , &

prodigus

prodigus ſecundum vitium, quare vanitas, ſic de alijs. Rectè igitur mea ſententia dixit Horatius.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, Horat.
Quos vltra, citraq; nequit conſiſtere rectum.

Tametſi Heroicas virtutes, ac Chriſtianas medium non habere, ſed ſupremum potius, atq; apicem puto. cæterùm iam demum hanc noſtram de vanitate ſententiam aureo illo dicto diuinæ Sapientiæ roboremus, nempe, vani ſunt omnes homines, in quibus nõ ſubeſt ſcientia Dei; & quemadmodum dixerat Propheta, Dauid. *Beatus Vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in uanitates, et inſanias falſas. propterea cõuerſi ad Dominum cum eodem Propheta dicamus ſe-* Dauid. *dulò. Auerte oculos meos ne uideant uanitatem.*

Hæc ita curſim, quaſi ex tempore, de uanitate nunc diximus. non ignoro tamen plures alios hunc laborem de induſtria ſuſcepiſſe, illumq; felici calamo ſuperaſſe: uerba tamen ſunt plurima, multamq; in diſputando habentia uanitatem. Dixi autẽ de illa libens, ut dum poſſumus, reſipiſcamus, et nõ ultra uanitatibus uanæ gloriæ, quæſtui, lucroq; infæliciter inhiemus, ſed libero animo, & Chriſtiano noſtrum officium exercentes ſatagamus, ut nobis, & proximo conſulentes, ac prouidentes duo illa mandata, in quibus omnis lex pendet, & Prophetæ, abſoluamus, ut nedum quadruplum, ſed & promiſſum centuplum à Deo aliquando accipere mereamur.

Finis Quæſtionis de Vanitate.

DIGRESSIO.

FED.



Vid est (Viri optimi) quòd ulteriùs in disputationibus remoremur, si iam statuimus hæc omnia vanitatem, & afflictionem pessimam? quandoquidem cum hæc cuncta dixerimus, & illa usq; ad viuum resecuerimus, vt nihil amplius ultra quærere ualeamus, non propterea est concludendum nos ueritatem adeptos esse, quam asserunt Philosophi esse adæquationem rei ad intellectum: quæ definitio opinioni potius uidetur conuenire, quàm veritati: nam esto, quòd nobis uideatur disceptando tandem ueritatem acquisiuisse, si superuenerit argutior aliquis, nobis doctior, ac subtilior, mentem nostram de sententia, quam ueritatem statueramus, protinus deturbabit: & propositiones efformans, atq; argumenta, in aliam nos coget sententiam commigrare, credentes, non priorem amplius, sed hanc esse infallibilem veritatem: quòd si rursus acutior aliquis accedat, ac perspicacior, adhuc nos coget mutare sententiam, adæquabitur per illum nostro intellectui res proposita, & Deus scit, num & ipse absconditam compererit ueritatem, cum iam ex Philosophis statuerimus & nos paucissima scire, & ultimas rerum

Salom. *differentias nos latere. quare iure optimo dixit Sapiens, vidi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt distendantur in ea: Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum,*

rum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.

BAL. *Sensim Federici. tametsi difficile admodum sit rerum omnium consequi veritatem, Ego nihilominus Philosophis astipulabor asserens ipsius veritatis definitionem, descriptionemuè, continere perpetuam veritatem, nempe, quòd sit adæquatio rei ad intellectum, dum scilicet rei essentia, & , vt aiunt Philosophi, quod quid erat esse ipsius rei intellectui re ipsa repræsentetur: neq; etenim quodcunque pro vero opinabitur quispiam, id uerum erit, veluti si uidens Socratem Calliæ simillimum, adeo vt ipsum tu, & alij omnes esse Calliam reputetis, & vti verissimum statuatis, & intellectus vestrûm omnium huic apparitioni acquiescãt, non propterea hæc erit veritas, neq; res ipsa adæquabitur intellectui, sed apparens similitudo: & vt huius etiam esse veritatem sciamus, sic statuendum. quod quatenus talis est similitudo, talis apprehensio, hæc adæquabitur intellectui, & ipsius erit veritas: hinc dixit Porphyrius, quòd omnis cognitio est assimilatio eius, quod cognoscitur: quodlibet etenim verum est, dummodo sit aliquid, propterea dictum est à Philosophis, Ens, & verum conuertuntur.* Porphy.

BVR. *Quicquid alij de mundi, rerumq; omnium uanitate senserint, Ego prorsus eo pedibus in Federicij opinionem. Et iandudum proposui in mente mea reiectis alijs cunctis, ut uanitatibus, præcinens cũ Catullo,* Catull.

O' quid solutis est beatius curis, & cum Horatio Horat.

Res vrget me nulla, meo sum pauper in ære.

Illi

Eccles. *Illi Sapientißimi Ecclesiastæ me conformare sententia, dum dixit, Et cognoui, quòd non eßet melius, nisi lætari, & facere bene in vita sua; Quid enim, vt idem dicebat, proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & hoc non ne vanitas est? nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est. Edamus igitur, & bibamus, & lætemur Conuiuæ optimi, has occupationes peßimas tum alijs relinquētes, tum posteris, si cum cæteris errare maluerint. itaq; cum Lyrico concludentes, quilibet.*

Horat. *Dona præsentis cape lætus horæ.*

Et cum Seneca omnes, amici, ac domini mei,

Seneca. *Dum fata sinunt, viuite læti.*

QV. *Talis conclusio non est improbanda: imò non aliam vellem nostris sermonibus esse coronidem imponendam, quandoquidem iam tempus adest, vt citò Taruisium reuertamur.*

BAL. *Debeon' Ego uacuus à proponenda quæstione hinc discedere? propositurus etenim vobis fueram, nunquid in prandio, an potius in cœna homini sit largius comedendum; quam quæstionem Oddus ille de* Oddus de Odd. *Oddis Patauinus excellentißimus, vt clarè patet in eius impreßis libris, doctißimè pertractauit.*

CAL. *Dabitur occcasio. nunc non est alij quæstioni tempus permißum: instat hora vigesimasecunda, quapropter nisi tu cum Burchelato, cui etiā spectaret dispu-*

disputationem proferre, hic ruri nunc proponetis: quod differtur non auferetur, & locus, & tempus erit in ciuitate: ad quam statim, obsecro, recurramus.

BVR. *Nisi omnia esse vanitatem, & spiritus afflictionem à nobis conclusum foret, mea Quæstio, siue potium meum Paradoxum, nempe Semel in die naturali esse homini manducandum, hora scilicet uespertina, sicuti in promptu est, ita certè disputaretur, quàmuis instaret uel ultima hora huius diei: nam & cæna opipara, ni fallor, & cubilia, & lectisternia commodè nos exciperent; sed quoniam, ut uideo, res uestrùm agitur, dum Taruisium redeamus, carpentis statim iungentur Equi: etenim cerno famulos nutum meum attentiùs expectare, & nisi commoda, uti suspicor, nobis illic præstaretur occasio disputandi, cuilibet, quisquis legere optauerit, illud libenti animo in scriptis tradam.*

FED. *Hæc, amabò, Fratres carißimi, in præsentia satis sint: tuq; Burchelate dulcißime Præbitor noster contentus acquiesce nostro arbitratui, necesse siquidẽ est modò in Vrbem citiùs proficisci. Iam ualeat speciosa ista perinde, atq; spaciosa Charitas tua.*

BVR. *Esto igitur, i præ, sequemur. Vos, ad quos attinet cura nostra familiaris, ex uoluntate mea iandudum uobis perspecta, curate omnia diligenter. iam, ut mane fueramus in curribus dispositi, sedeamus, tu loris excita equos. Vos ualete coloni mei, & satagite rebus nostris, ut, cum reuertar, de uobis in re aliqua mihi non sit postea conquerendum.*

FINIS.

Retroscriptum opus cum nil contineat quod sit contra Sanctam Fidem Catholicam, Statū, ac bonos mores, imprimendi licentiam concedit Fr. Magister Felix Pranzinius Pistoriensis Con. Franciscanus Hereticæ prauitatis Inquisitor Generalis Apostolicus in tota Ciuit. & Dioc. Taru. sub die Martis 12. mensis Ian. 1593. Manu Propria.

Si quid fortè contra Catholicam Fidem: indictū esto.
B. B. Ph.

BARPT. BVRCHELATI INSIGNIA.



NIHIL EST SIMVL INVENTVM, ET PERFEC.


INDEX

INDEX EORVM, QVÆ VISA SVNT
In Conuiuio Notabilia.

In Quæstionibus Tu quoque fac simile.


Nomina virorum in Conuiuio.

Præbitor —	*Conuiuæ —*	*Commensales*
Conuictores	*Sodales*	*Comites*
Compotatores	*Archiposias*	*Bibendi arbiter*
Compotores	*Conuiuij gubernator*	*Architriclinus*
Diribitor, seu —	*Diriuitor —*	*Distributor*
Cocus	*Structor*	*Pueri*
Pincernæ —	*Ministri —*	*Pocillatores*
Qui à cyathis	*Qui stat ad phialas*	*Promi*
Condi	*Procuratores peni.*	



Catalogus vtensilium habitorum in Conuiuio.


Conuiuium
Symposium
Prandium
Cœna
Apparatus
Edulia
Cibaria
Dapes
Cupedia
Epulæ
Esca
Fercula
Obsonia
Assa
Frixa, Elixa,
Iurulenta
Embammata
Intrita, Intinctus
Obsonij condimenta
Missus
Libum
Potio
Potatio
Potus
Vipa
Vncia
Haustus
Potio meraca
Compotatio
Propinatio
Secunda mensa
Bellaria
Appendix conuiuij
Tragemata
Pemmata
Dentifricia, seu
Dentiscalpia.



Abacus
Vasa stannea
Vasa testacea. s.
Maiolica, seu
Lacticinia
Orbes
Lances
Gabatæ
Patinæ
Malluuia
Gutturnia
Salinum
Paropsides
Oenophora
Toreumata varia
Mensa hypætra
Mensa rotunda
Monopodium
Mensa
Mensa circularis
Discus
Peluis
Pollubrum
Epistomium
Vas cum aqua
Vas refrigeratorium
Tripodes
Fiscella
Mazonomum
Ollulæ

Vasa vinaria recensita.

Labra
Amphoræ
Congij
Vrna
Sextarij
Heminæ
Phiala
Aliphana
Vinaria
Carchesia
Calices
Pateræ
Cratera
Besses
Deunces
Trientes
Quinvrneces
Sextantes
Cotylæ
Scaphia
Rami
Cyathi
Crateres
Pocilla
Sciphi
Cululli
Pocula
Poteria
Capides
Amphiteta
Oxibaphi
Sexqui cyathi



Catalogus relatorum cuiuſcunq; generis eduliorum, ac potuum, præbitorum pariter, ac non præbitorum.



CArnes ſalitæ
Linguæ bouillæ
Petaſo
Perna
Salſamenta
Citri fruſtula cum
Saccaro, & roſacea
Mala Medica
Palumbes aſſati
Pulli aſſati
Anates aſſæ
Aſſum vitulinum
Coloſtra
Lucanica
Ofellæ
Panes
Placentæ
Sal
Iuncata
Recocta
Saccarum
Synapis
Palumbi torquati
Columbæ
Pulli elixi
Intritum
Intinctus
Caro vitulina elixa
Inteſtina, ſeu
Lactes, &
Boum interanea
Meleagris
Capi

Vinum dulce, vetus, vetuſtum, merum, temetum, cæcubum
Dulcis lyæus
Dilutum
Potum miſtum
Vappa
Vinum paſſum
Paſſum
Oliuæ
Defrutum
Moretum
Anſer viuus, & coctus
Sus ſemiaſſus ſemielixus
Mel,
Liquamen
Laridum
Libum
Artolagatum teſtuaceum
Lac, oua, caſeus, panis tritus, ſaccarũ, aſtaphis, cum aromatis libũ faciũt
Poma, pyra cruda, & cocta, muſcatella, ſuperba,
Caſeus
Volemata
Perſica, piſtacia
Auellanę, nuces, amygdalę, caſtanec,
Amigdalæ, Pinei, Coriandri
Semina ſaccaro confecta.

Edulia alia delicata, quæ, & cur non prębita lege fol. 55. & 56.



Auctores in opere vbi, & quoties citati.

Fabius

Oddus

F I N I S.

REGISTRVM.

a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc.

Omnes sunt sunt integra fol. 28.

Taruisij, Dominicus de Amicis Typographus. 1593.

